

881  
H8b.Yb

BRANDT.

DE BATRACHOMYOMACHIA  
HOMERICA RECOGNOSCENDA.







DE  
BATRACHOMYOMACHIA  
HOMERICA RECOGNOSCENDA

DISSERTATIO PHILOLOGA QVAM AD SVMMOS IN  
PHILOSOPHIA HONORES AVCTORITATE AMPLISSIMI  
PHILOSOPHORVM ORDINIS IN VNIVERSITATE FRIDE-  
RICIA GVILELMIA RHENANA RITE IMPETRANDOS  
VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS DIE V MENSIS  
AVGVSTI ANNI MDCCCLXXXIV HORA XII PVBLICE  
DEFENDET SCRIPTOR

PAVLVS BRANDT  
SARAEPONTANVS

ADVERSARII ERVNT

HERMANNVS WINNEFELD  
IVLIVS SCHOENEMANN  
FELIX BOELTE

---

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI VNIV. TYPOGR.



PARENTIBVS OPTVMIS





**B**atrachomyomachiae homericæ inde a nascentibus litteris infinita fere editionum series usque ad hanc ætatem a principe illa Homeri operum editione propagata est, quæ curante Demetrio Chalcondyla anno 1488 Florentiæ prodiit. A recentioribus editoribus cum raro librorum manu scriptorum adminiculum adhibitum esset, primus Augustus Baumeister anno 1852 maiore codicum numero instructus carmen ludicrum edidit, motus ille quidem Godofredi Hermanni verbis<sup>1</sup>, unde omnes qui ad hanc quæestionem accinguntur proficisci fas est: 'Batrachomyomachiam alii poetæ nunc addendo, nunc detrahendo, nunc mutando prout cuique consilium quod ipse habebat, postulare videbatur, interpolantur'. Et paulo infra: 'Eius carminis varias lectiones qui consideraverit, sponte intelleget, non versus quosdam tamquam spurios expelli debere, sed plures constituendas esse Batrachomyomachias, quarum multa communia, alia diversa sunt'. Quæ sententia et Baumeistero nimia est visa et ab ipso Hermanno recisa, post decem fere annos in illustri de ætate scriptoris Argonauticorum dissertatione<sup>2</sup> hæc verba faciente: 'Etenim vel leviter hoc carmen consideranti planum esse debet, tot illud tantisque interpolationibus esse corruptum, ut penitus immutatum censi oporteat. Tanto illud studio lectitatum aliquando tractatumque est. Hanc ob causam ab isto carmine, ut a farragine versuum diversissimis ætatibus factorum, plane ab-

<sup>1</sup> epistolæ ad Ilgenium datæ p. IX illius hymnorum homericorum editioni (Halæ 1796) præfixæ.

<sup>2</sup> Orphicorum Lipsiæ anno 1805 editorum p. 763.

stinet nostra disputatio'. Sed ne huic quidem summi viri sententiae tantum, quantum par fuit, tribuit Baumeister duabus maxime de causis, quod et vitia illa quibus scatet hoc epyllion, Pigreti quem auctorem eius ferunt ut Cari, homini barbaro, liberaliter condonabat nec satis rectum de codicum auctoritate iudicium fecerat. Nam optimorum librorum fonte nondum recluso Chalcondylae editio quamquam multas praebebat lectiones utique egregias, librorum manu scriptorum fundamento destituta videbatur. Quo factum est ut spretis vetustioribus qui ad illam propius accedebant codicibus ex recentiorum librorum fide plane novum Baumeister textum typis describeret.

Huic primus quod sciam obviam ivit Curtius Wachsmuth<sup>1</sup>, qui non solum carminis scriptorem a ruditatis egestatis inelegantiae vitiis, quae hodie in codicibus apparent, Statii Martialis aliorum iudicio confisus vindicavit, sed etiam lectionem duorum librorum, Laurentiani et Ambrosiani, quibus praestantiores ne nunc quidem sunt reperti, publici iuris fecit. Neque tamen quam ille monstrabat viam ingressi sunt viri docti. Nam quamquam Augustus Althaus<sup>2</sup> Wachsmuthii de scriptore epyllii sententia probata paulum iam ab auctoritate eorum librorum quos Baumeister optimos censuerat recedens haud pauca egregie administravit, tamen qui *Batrachomyomachiam* novissima cura seorsim edidit Ioannes Draheim<sup>3</sup> Laurentianum illum saeculi X—XI a Wachsmuthio editum adeo respuit, ut quattuor libros saeculi XV—XVI eosdem fere quos Baumeister proxime ad archetypum accedere opinaretur. Itaque qui error in Baumeistero apud aequos iudices facile veniam impetrabit latentibus etiam tunc optima lectionis fontibus, idem in Draheimio qui excusari possit non video. Neque vero eam quam meruit laudem Draheimio detraho. Haud parvo

<sup>1</sup> Mus. Rhen. XX 1865 p. 176 sqq.

<sup>2</sup> De *Batrachomyomachiae* Homericæ genuina forma, Gryphiswald. 1866.

<sup>3</sup> *Homeri* quae fertur *Batrachomyomachia*, Berolini 1874.

enim interpolatorum versuum numero detecto ipse haud mediocris exstitit huius poetae sospitator.

Sed iam ante Draheimii editionem *Batrachomyomachiae* libris undique conquirendis eximiam curam impenderat Arthurus Ludwich<sup>1</sup> recte ille quidem in universum de codicum auctoritate iudicans sed ita ut iam meliori librorum generi nimium tribueret, deterius magis quam par erat neglegeret. Quam sententiam nuper ad laceratissimam totius carminis partem, descriptionem dico ranarum muriumque pugnae, restituendam in transcurso magis quam data opera a Ludwichio<sup>2</sup> applicatam secutus est Carolus Kühn<sup>3</sup>, qui tamen iudicio usus non satis acri ad fidem meliorum tantum librorum textum restituit quovis vetere poeta indignum.

Omnino vero quam arte cohaereat omne de huius epyllii indole et aetate iudicium cum codicum auctoritate recte explorata luculentissime ostendit Herwerdeni<sup>4</sup> exemplum, qui Draheimianum editionem amplexus ad aetatem non multo Martiale et Statio priorem illud detrudere ausus est. Etenim cum multos enotaret locos qui posteriorem originem testarentur, saepius accidit, ut ab antiquiore poeta postularet eam ipsam lectionem quam liber omnium antiquissimus praebet<sup>5</sup>. Quod vero singulis locis reprehensis omne damnat carmen ut falsarii fetum vix aevo Augusteo antiquiorem, valde vereor ut haec quaestio tam facili negotio absolvi possit<sup>6</sup>. Etenim

<sup>1</sup> progr. Alb. Regim. 1871 III; *Königsb. wissenschaftl. Monatsbl.* III 1875 p. 14 sqq., IV 1876 p. 164.

<sup>2</sup> *Zeitschr. für österr. Gymn.* 1881 p. 170 sq.

<sup>3</sup> De pugna ranarum et murium, quae in *Batr.* describitur, observationes criticae, Regimonti 1883.

<sup>4</sup> *Mnemos. N. S.* X 1882 p. 163 sqq.

<sup>5</sup> Sic v. 19 ἀνεθρέψατο reprehendit, Laurentianus (L) ποτε γείνατο, v. 55 μειδιάσας, mavult μειδήσας quod habet L, item v. 96 ἀλλὰ πλανήσας, L quod ille poscit ἀλλ'ἀπατήσας, v. 206 ἀκόντισε Πηλείωνα, L recte Πηλείωνος.

<sup>6</sup> Non potest in censum venire quem 'De *Batr.* origine, natura, historia, versionibus, imitationibus librum composuit Georgius Guilelmus

uni convenit hoc carmen ei aetati cui tribuerunt etiam qui veteres Pigretem, Artemisiae fratrem, bellorum persicorum aequalem, Batr. condidisse memoriae tradiderunt.

## I

Egregia Curtii Wachsmuth et Arthuri Ludwich liberalitate factum est, ut multo maiore et accuratior apparatu quem dicunt critico instructus ad propositum accingerer. De quo iam breviter referam. Ac primum praesto mihi fuerunt Baumeisteri cuius sigla retinui codices. Cuius collationibus hic illic non satis accuratis tantum habui fidei, quantum per meas licebat conlationes. Plane autem abstinui ab eorum librorum usu, quorum incertam vel nullam ille habuit cognitionem: h i k. Neque editione Florentina ita usus sum, ut ex uno codice expressam putarem. Chalcondylam enim ex pluribus libris suum exemplar, quod typhotetae traderet, concinasse eis tantum modo quae omnino ferri nequirent proprio Marte mutatis et res ipsa docet et illius praefatio<sup>1</sup>.

Aderant porro libri duo, quorum lectiones Wachsmuth Mus. Rhen. p. 176 sqq. ediderat:

- L* Laurentianus plut. 32, 3 saec. XI  
*J* Ambrosianus J 4 super. saec. XIII<sup>2</sup>,

---

Waltemath Bremanus Sacramentanus, Stuttgarti 1880', quo libro incompositius quidquam numquam vidi.

<sup>1</sup> Cf. Augustus Guttman, de hymnorum hom. historia critica Gryphisw. 1869 p. 13.

<sup>2</sup> Exemplum unde *J* descriptus est binos hexametros uno versu continuasse ita ut alterni carminis versus sibi subiciantur, vidit Ludwich (cf. *Königsb. wissenschaft. Monatsbl.* III 1875 p. 15). Nam cum in *J* extrema verba versuum 46, 48, 50, 52, 54; 141, 143, 147, 149; 244, 246 et prima versuum 97 et 105 a priore manu omissa, deinde recte expleta sint, quid rei sit, numeri ipsi docent. Etiam de cod. Laur. 32, 16 saec. XIII Apollonii Argonautica continente testatur Keil apud Merkelium Prolegom. p. LIII geminatis hexametris versus

quattuor deinde libri Veneti, quorum scripturas ad Baumeisteri editionem a Guilelmo Hollenberg adnotatas et Draheimio et mihi licuit inspicere:

*M* Venetus Marcianus 613 saec. XIII, cuius lectiones, id quod Draheimium fugit, iam tribus ante annis cum scholiis accuratissime ediderat Ludwich progr. Acad. Alb. Regim. 1871 III.

*X* Venetus app. 14 saec. XV in quo desunt v. 127—155.

*T* Venetus app. 16, saec. XIII—XIV, unde prodiit editio Veneta a. 1486 (= d Baumeisteri)

*O* Venetus 406 saec. XV.

His igitur libris iam Draheim usus est. Insigni vero liberalitate thesauri in suum usum congesti copiam petenti mihi fecit Ludwich novem librorum conlationibus transmissis, unde non mediocrem me fructum percepisse gratissimo animo profiteor. Qui<sup>1</sup> sunt

- F* Vaticanus 915 saec. XIV
- N* Laurentianus 31, 20 saec. XV
- Q* Laurentianus 59, 2 saec. XIV
- E* Vaticani 1363 pars II saec. XV
- C* Vaticani 41 fragmentum (v. 1—31) saec. XIII
- D* Neapolitanus III E 37 saec. XIV
- K* Casanatensis G IV 16 saec. XV
- V* Vaticanus 1314 saec. XV
- B* Ambrosianus E 81 saec. XV

Ex schedis deinde Ritschelii qui Batr. ut sodalibus seminarii Bonnensis identidem tractandam proposuit ita ipse

---

scriptos esse. Illo autem modo ut laederentur versus facile fieri potuit, si exempli codicis J fol. Iv continebat versus geminatos 1—22 (v. 1—44), fol. IIr v. g. 23—46 (v. 45—96), fol. IIv v. g. 47—67 (v. 97—137), fol. IIIr v. g. 68 sqq. (v. 138 sqq.).

<sup>1</sup> Ludwichii sigla retinui quae posuit *Wiss. Monatsbl.* IV 1876 p. 164 sqq. Quos praeterea habeat libros conlatos vide *ibid.* p. 166.

ex sua recensione edere animo agitabat<sup>1</sup>, non nullorum librorum conlationes protraxit Wachsmuth, quarum benevolentissime mihi usum concessit. Sunt autem:

*R* Ambrosianus F 40

*S* Ambrosianus L 73 continens v. 1—123;

accedit folium saec. XVI carmen usque ad v. 255 continens.

*U* Ambrosianus H 22. Qui tres libri saec. XV non videntur excedere. Accedebant scripturae quaedam ex Ambrosianis B 39, B 52, B 98, C 7 enotatae librariorum sordibus scatentes.

Conlatus denique est a me

*P* Palatinus graecus 45 saec. XIV, continens Odysseam et Batr., secuntur duae Odysseae ὑποθέσεις. Ex Batr. subscriptione memorabile hoc visum: τέλος σὺν θεῷ τῆς βατραχομουμαχίας . . . χειρὶ παλαγάνου υἱοῦ πελεγρίνου

*H* ∞' ε̂ Δ  
μ οκτ τ ιν ε̂ (manus altera suprascripsit<sup>2</sup> Η) ἔτους χ̂ ψ̂ ι̂  
(i. e. 1310):— εἰσὶ δὲ οἰσὶ τῆς βατραχομουμαχίας ὁ π̂ (i. e. 280 στίχοι, tot enim fere versibus carmen perhibetur in *L J*).

## II

Librorum manu scriptorum tria sunt genera, quorum primum melius, alterum deterius, tertium mixtum appello. Haec ita comparata sunt, ut melius et deterius semper in diversas partes abeant, tertium non certa adhibita ratione modo hoc modo illud sequendo mixtam concinnet lectionem. At longum est neque huic loco aptum omnem proponere lectionum concinentium vel discrepantium molem. Immo melius legentibus me consulturum putavi si per tabulam exhiberem diversae scripturae delectum, ut uniuscuiusque librorum sectae imago oculis posset percipi. Quam tabulam ita describam ut prius versuum omissionum, deinde scripturarum diversarum exempla exhibeam<sup>3</sup>.

<sup>1</sup> cf. vitam eius ab O. Ribbeck descriptam, II p. 35 et p. 485.

<sup>2</sup> debuit corrigere θ, nam ind. VIII coepit Kal. sept. a. 1309, october mensis a. 1310 incidit in ind. IX.

<sup>3</sup> Quos asterisco notavi libri leviter discrepant a proposita lectione. *F*<sup>1</sup> *l*<sup>1</sup> *V*<sup>1</sup> *X*<sup>1</sup> significant manum priorem librorum *F l V X*.



60	σώματα	. . . . .	Q E . . . . .	. . . . .
95	οὐ γάρ μου	. . . . .	Q E O l y x . . . . .	. . . . .
81	ὑψώσας	. . . . .	L γ F N . . . . .	. . . . .
44	σῶμα μέγα	. . . . .	L γ* F . . . . .	. . . . .
135	ὁ θρύλλος	. . . . .	Q E O . y x z M . K . . . . .	. . . . . g
81	ἀπλώσας	. . . . .	. . . . . M D K P t u . . . . .	. . . . .
241	ἐκλάσθη	. . . . .	L γ F . . . . .	. . . . . P t u
301	οὐς καὶ	. . . . .	L γ F N . . . . .	. . . . . u

274	ἄρπαξ βατρ.	. . . . .	. . . . .	. . . . .	V . R U X . . . . .	. . . . .	a . . . . .	d . . . . .	g
63	νώτοις	. . . . .	. . . . .	. . . . .	V B R . X A G . . . . .	. . . . .	. . . . .	. . . . .	. . . . .
21	καὶ σε βλέπω	. . . . .	. . . . .	. . . . .	V B . . . . .	. . . . .	b . . . . .	d e . . . . .	S g
208	ψυχὴ δ' ἐκ στόμ. ἔπιτη	. . . . .	. . . . .	. . . . .	V B R . X . . . . .	. . . . .	b . . . . .	. . . . .	. . . . .
76	δ' ἐβόα	. . . . .	. . . . .	. . . . .	V B R . X A G . . . . .	. . . . .	b c d e . . . . .	. . . . .	g
93	δολιῶς	. . . . .	. . . . .	. . . . .	V B R . . . . .	. . . . .	A G a b c d (e) . . . . .	. . . . .	g
83	πᾶσιν ὁμῶς	. . . . .	. . . . .	. . . . .	V B R . . . . .	. . . . .	A G a b c d e f S g	. . . . .	. . . . .
195	εἰ καὶ	. . . . .	. . . . .	. . . . .	V B R . X . . . . .	. . . . .	. . . . .	e . . . . .	g
148	περὶ	. . . . .	. . . . .	. . . . .	V . R U . . . . .	. . . . .	. . . . .	c d e . . . . .	g
113	γε om.	. . . . .	. . . . .	. . . . .	V . R . X A G . . . . .	. . . . .	a b c d . . . . .	f S . . . . .	. . . . .
153	ἐν ὄπλοις	. . . . .	. . . . .	. . . . .	V B R . X A G . . . . .	. . . . .	a . . . . .	d e f . . . . .	g
116	μόρον	. . . . .	. . . . .	. . . . .	V . . . . .	. . . . .	A G . . . . .	b c d e f S g	. . . . .



Iam breviter poterimus munere nostro defungi in ceteris codicibus describendis: de melioribus *L JFN* paulo uberius erit dicendum. Hi maxime inter se consentiunt: soli omitunt v. 60, v. 253—259, pro quibus peculiarem versum unum exhibent, v. 262, v. 264—268, soli exhibent v. 82 ἔξαπίνης — πικρὸν, v. 86 ἔκφυγε, v. 138 κακὴν ἔριν alia. Artiore autem vinculo continentur *L* et *J*. Nam ut omittam *F*, quem ex *L* et *J* fluxisse ostendam, desunt in *L* et *J* solis v. 72, 77, 214, 215, 280 in isdem solis cum alia leguntur tum haec: v. 31 ἐν ἐ δέσμασι, v. 54 οὐ τεύτλοις, v. 63 ὀλισθηῖς, v. 98 ποιήν σὺ τίσεις μυῶν στρατῶ οὐδ' ὑπαλύξεις. Sed ne *J* ex vetustiore *L* descriptum putemus, v. 26, 251, 252, 269 omittuntur in *L* quos habet *J*.

Ex *L* et *J* accedente quodam deterioris notae libro descriptus est *F*. Is enim liber aut *L* sequitur aut cum *J* facit locis plurimis, quin etiam ex utriusque lectione suam concinnat: v. 48 δύο μάλα πάντα τὰ *L*, τρία μάλα πάντα *J*, τρία (in ras!) μάλα πάντα τὰ *F*. Idem cum *J* solus post v. 111 exhibeat v. 120 sq., hos versus post v. 111 in margine habet adscriptos. Tertium denique praeter *L* et *J* eumque deterioris generis codicem praesto fuisse docent viginti fere loci, quibus *F* illius generis lectionem sequitur, interdum adnotata discrepantia: v. 36 τανύπλεκτος (sic *EKM*<sup>b</sup>) et supra γράφεται καὶ τανύπεπλος. In margine denique a manu altera adscripti sunt v. 72, 77, 100a alii a melioribus omissi. Itaque cum *F* nihil proprii habeat, nulla eius ratio est habenda.

Restat denique quem melioris generis quarto loco posui *N*. Qui etsi plures quam *F* recepit deteriores scripturas, tamen ex eodem unde *L* fluxit fonte. Soli *L N* omitunt v. 33 γὰρ, soli exhibent v. 176 θυσιάων αἰδέσμασιν, v. 206 πηλείωνος. Porro cum v. 10 *L* exhibeat λίμνη πίνων, *J* recte λίμνη ἀπαλὸν, *N* λίμνη πίνων ἀπαλὸν, sponte intellegitur librum *N* ex eodem fonte unde *L* et *J* originem duxisse, in quo exemplari v. 10 πίνων suprascriptum erat. Quare non est mirandum interdum etiam *L* et *J* libro *N* integritate superari.

Ex deterioribus libris *VB R U X* una tamquam sunt familia. Plurimis locis consentiunt atque *VB R* ita, ut *V* modo cum *B*, modo cum *R* faciat, numquam fere *B* cum *R* nisi accedente *V*. Tamen *B* et *R* ex *V* descriptos esse paucis tantum lectionibus aliunde interdum petitis adfirmaverim; id quod constat de libro *R*. Nam cum v. 209 sqq. *V<sup>1</sup> B E P* hoc ordine habeant: 209, 214, 213, 215, 218, *R* primum vulgatam lectionem secutus litteris praepositis ordinem illum restituit. Codicis *V* simillimi sunt *U X*, quorum posterior interdum etiam quos versus in *V* omissos altera manus addiderat ipsius librarii cura secunda expletos habet. Accuratus necessitatem illorum librorum definire in tanta affinitate et inutile est et periculosum, cum ex silentio conlationum coniectura sit facienda. *V* autem ea de causa huius familiae principem esse dico, quod v. 74—81, qui in archetypo procul dubio in margine adscripti fuerunt, minio pictos exhibet.

Haec familia quam arte cum aliis deterioribus cohaereat, hanc vide v. 234 discrepantiam vel potius consensum: pro *περὶ τεθνηώτων* habent *περὶ τεῶν ἰόντων* *VB R X*, *περὶ τέων ἰόντων* *b d f*, *περὶ τε ὄνι' ὄντων* *e*, quibus accedit *E* *περὶ ἔων ἰόντων*<sup>1</sup>. Ceterum de libris *b c d e f g*, de quorum proprietatibus egit Baumeister, disputare supersedeo. Unum dico, cum *f* saepius mire consentire *S*; nam uterque v. 109 omittit *τε*, v. 138 *καὶ μὴ φάτην* (*φάτιν f*), v. 140 *εἶπον θ' ὄπλ.*, v. 141 *ὄν παρ' ἔπεφεν*.

Restant *A G a*, qui Baumeistero et Draheimio testibus omnium maxime archetypi imaginem reddunt. An quia omnium maxime emendatam exhibent scripturam, quia ceteris errantibus fluctuantibusque soli rectum tenent cursum? Minime, sed quia saepe '*A G* cum aliis melioris familiae lectiones exhibent plane vitiosas, cum deterioribus id quod verum sine dubio est, continetur'<sup>2</sup>. Fuisse enim in archetypo aliquid

<sup>1</sup> Itaque litteris maiusculis scriptus fuit deteriorum fons: ΤΕΘΝΗΩΤΩΝ.

<sup>2</sup> Baumeister p. 23.

peccatum, itaque postea suprascriptam esse correctionem. Iam diligentes librarios religiose ea tantum quae in seriem verborum inclusa fuissent, recepisse nil moratos verum esset necne; qui vero ipsi sapere sibi visi essent, eos delectum fecisse scripturae. Sed unde nata sit quaeris illa correctio. De coniectura librariorum respondet Baumeister. At plane incredibile est, tot locis illos verum acu tetigisse. Vides hic latere πρώτον ψεύδος, quo Draheimium decipi potuisse valde miror. Quid? numqua alia re libri *A G* prae ceteris sui generis excellunt nisi eo quod illis sunt corruptiores? quorum vitia ne pro virtutibus venditentur, proponam quae illorum propriae sunt lectiones: v. 21 ἔξοχον δ' ἄλλων *A*, v. 50 πέλει *A G* (idem *E*), v. 92 *A G* soli transposuerunt: τοίους δ' ἔφθ. μύθους *G*, τοίοις ἔφθ. μύθοις *A*, v. 96 ἀλλά με πλανήσας, v. 133 ἐς θ' ἔνα, v. 140 εἰπεῖν θ' ὀπλ., v. 244 πᾶς τε δὲ εἴσω, v. 271 κινήσας δὲ τὰ κάρη. His igitur libris *A G a* quod ut optimis Draheim addidit *c*, fragmentum v. 31—153 continens, nihil ad rem facit.

Iam de mixto genere est agendum, cui hos adscribo libros: *Q E x O l y*<sup>1</sup> *z u M D K P t*. Inter quos *O l y* tamquam pro uno sunt habendi, his enim locis *O* ad lectionem librorum *l y* a Baumeistero adnotatam solus accedit: v. 59, 80, 194, 250, 286. Ex eodem unde *O l y* fonte fluxerunt *Q E x*, quamquam *x* oscitatione librarii maculis obsitus est. Omnium vero hoc est commune, quod saepius soli cum melioribus consentiunt, cuius rei unum exemplum supra in tabula proposuisse satis habeo.

Venimus ad *M D K*, quos in omittendis versibus cum melioribus vides facere, in ipsis autem scripturis exhibendis plane esse mixtos. Id palam prae se fert *M*, qui saepissime alteram lectionem in contextu verborum, alteram interlinearem vel marginalem habet<sup>2</sup>. Quae *M* continet scholia byzantina, altera a manu priore scripta et brevissima sunt et vilissima,

<sup>1</sup> Cum *y* prorsus consentit Vindob. 289, cf. Baum. p. 14.

<sup>2</sup> vide Ludwichii accuratissimam conlationem progr. Acad. Alb. Regim. 1871 III.

altera a manu secunda exhibita uberiora variaque eruditione conflata non multum post Tzetzae tempus orta sunt quippe qui acerbe perstringatur ad v. 72<sup>1</sup>. Ad v. 42—52 manus altera scholia non adscripsit, unde nostro iure colligimus pertinere illa ad deterius librorum genus, quod illos versus omittit.

Ex *M* descriptus est *D*. Nam cum v. 164 in *M* sic legatur  $\bar{\alpha}$  ἔρχος  $\bar{\delta}$  δ'ἄξυσχοινος  $\bar{\gamma}$  ἐκάστω  $\bar{\epsilon}$  μακρὸς  $\bar{\beta}$  ἀρήρει, eundem *D* talem exhibet ἔρχος ἀρήρει ἐκάστω δ'ἄξυσχοινος μακρὸς, nisi quod manus altera ordinem verborum restituit. Item v. 107 et 278 librarius sequitur numeros in *M* superscriptos. *K* denique nulla fere re ab *MD* distat nisi eo quod v. 289 ρ' omittit cum *FE* et post v. 157 eum inserit versum quem meliores habent post v. 160. Itaque *K* quoque ex *M* descriptus videtur.

*MDK* cum *QOly* cognatione contineri eadem librorum *MQly* subscriptio confirmat haec: ἡ κρυερὴ μυοβατρυχομαχίη (-χία *M*) τέλος ἔσχεν.

Restat ut de *Ptuz* pauca dicam. Atque *Pt* in omitendis singulis versibus maxime cum deterioribus faciunt, velut v. 42—52, 121, 123; ceteras lectiones exhibent mixtas. Liber *u* interdum uno cum *P* facit, ut v. 25, 101, 173, interdum optimos habet socios, v. 222, 226, 239, 291, 297, quos etiam integritate antecedit v. 167, ubi recte ἐμπληντο, quod Wolfius coniecerat. Denique *z* quibus locis Baumeistero solus videbatur audacior, iam cum aliis consentit, eadem enim exhibent v. 54 *LJ*, v. 84 *LJFN*, v. 91 sq. *LJFN*, v. 128 *LJF*, v. 10 *R*, v. 26 *LPtVBUX*, v. 260 *VRX*. Tamen restant viginti fere loci, quibus petulantius egisse etiam nunc videtur, cf. v. 5, 57, 69, 76, 83, 115 sq., 122 alios.

<sup>1</sup> τὸν δὲ τζέτζην διὰ κενῆς στιβάδας λόγων ἐν τούτοις ἐνεῖροντα καὶ μεγάλα φουσῶντα χαίρειν ἔα· οὐπω γὰρ ἤδει τὸ ἀληθές.

## III

Tantam tot utrimque librorum contentionem quomodo componamus? Qui cum omnes diversissimis vocibus nobis obstrepant, verendum est, ut nos ipsi iudices ex hac lite salvi discedamus. Remotis igitur transfugis, qui modo huc modo illuc trepidant, principem ex utraque acie atque propugnato-rem eligamus, qui heroico more pro ceteris in certamen descendat. Vel potius iam elegimus: illic *L*, hic *V* suorum primores visi sunt, aptissimi igitur qui ad hoc certamen procedant. Id duplex iis ineundum erit cum de totorum versusum tum de singularum lectionum interpolatione.

Omittit *L* v. 60, quem iam Baumeister recte uncis inclusit. Idem vir doctus v. 98 a foedissimis Byzantinae aetatis interpolatoribus defendit editione Florentina nixus quae cum *L J F* exhibet ποιήν σὺ τίσεις μῶν στρατῶ οὐδ' ὑπαλύξεις. Duos ex uno versu fecerunt ceteri omnes, quorum hariolationes vide apud Baumeisterum. Sed etiam meliorum scripturam traxit quod sanavit Mauricius Schmidt Mus. Rhen. XXVI p. 166. Deteriorum enim absurdum istud ὀρθήν in suum usum convertens scribit ποιήν θην τίσεις σὺ κτέ. V. 100a καὶ ῥα κραιπνότατος μοίρας μυσὶν ἄγγελος ἦλθε om. *L*. Recte iam Baumeister infra textum relegaverat, revocavit Draheim expulso v. 100, nimirum commutans χρύσεια χαλκείων. Nec minus v. 127 sqq. elucet meliorum praestantia. Nam praeter *L J F N* et ed. Flor. omnes v. 127 sq. post v. 131 ponunt, quia librarius a voce οὖς v. 126 ad eandem v. 128 occurrentem aberraverat. Illum vero ordinem et res ipsa poscit et usus homericus (cf. Γ 330 sqq.) et ipsius poetae verba, quibus v. 160 sqq. ranas arma capientes describit, neque Baumeister denique aut Draheim repudiare sunt ausi. V. 296 om. *L*, recte si quid video, quia et ὄστοφυεῖς repetit quodam modo quod ante dictum est ὄστρακὸδερμοι, et πλατύνωτοι ut non quadrat ad cancos, ita cum reliqua parte versus ex testudinum aliqua descriptione videtur arreptum.

Verum ne meliores quidem libri interpolationibus carent plerumque sane tam manifestis ut neminem fallere possint. Atque quod v. 42—52 exhibent sine controversia ab eo loco alienos, non tam petulantiae tribuerim librarii quam religioni, qua margini adscriptos omittere nefas duxit. Sed v. 123 recte omittunt deteriores confictum a nescio quo, qui colorem homericum affectavit cf. N 297 μέγα πτολέμοιο μεμηλώς. Post v. 170 duos versus interpolant meliores, post v. 194 unum, μήτις καὶ λόγῃ τυπῆ δέμας ἢε μαχαίρη, ubi  $\bar{u}$  producta fraudem aetatemque fraudis prodit; idem v. 205 integrum ex Homero adsciverunt.

Ex hac igitur interpolatorum versuum contemplatione cum non possit rectum de alterius generis integritate iudicium deduci id eo certius nobis continget compositis iam singulis scripturis.

V. 12 λιμνόχαρις πολύφωνος, ἔπος δ' ἐφθέγγετο τοῖονδε  
(lege τοῖον) *L*

λιμνόχαρις πολύφημος, ἔπος τ' ἔφατ' ἐκ τ' ὀνόμαζε *V*. Πολύφημος ex Cyclopiis recordatione inlatum, sed aptissime rana Πολύφωνος appellatur 'qui multas emittit voces', neque audiendus est Hesychius s. v. Πολύφημον explicans πολύφωνον, ἐπιθετικῶς. Male deinde formulam homericam notiosem intulit *V*, proprie enim φθέγγομαι dicitur de ranarum cantu, ut apud Aristoph. ran. 240 ΔΙ. ἄλλ' ὦ φιλιππὸν γένος παύσασθε. ΒΑ. μάλλον μὲν οὖν φθεγγόμεσθ', εἰ κτέ. Paroem. gr. I p. 222 Leutsch et Schneidew.: Βάτραχος Σερίφιος: ἐπὶ τῶν ἀφώνων. Οἱ γὰρ ἐν Σερίφῳ βάτραχοι οὐ φθέγγονται.

V. 19 καὶ με πατήρ Πηλεὺς ποτ' ἐγείνατο *L*, ἀνεθρέψατο *V*. Omitto quod ἀνατρέφομαι ab Homero alienum, quod omnino forma media recentioris est aetatis; absolvitur enim res ratione habita verborum sqq.: μιχθεῖς ἐν φιλότῃ.

V. 20 παρ' ὄχθαις *L* παρ' ὄχθας *V*. Usu homerico comprobatur datus; vide lexicon homericum ab Ebelingo editum s. v. παρὰ Β 2 b γ p. 133. Cf. Δ 474 sqq. Σιμοείσιον, ὃν ποτε μήτηρ Ἰδηθεν κατιούσα παρ' ὄχθησιν Σιμόεντος γείνατ' ἐπεὶ κτέ. Simili loco Ξ 445 editur παρ' ὄχθας, sed ὄχθη *Vind.*, ὄχθης Zenodotus, ὄχθαις Strabo XIII 605.

V. 34 sq. οὔτι με λήθει *L*, οὐδέ με λήθει *V*. Legitur τ 91 οὔτι με λήθεις\*, Ω 563 καὶ δέ σε γιγνώσκω, Πρίαμε, φρεσὶν οὐδέ με λήθεις\*. *Ciborum enumeratio non ut simile colon adponitur, sed propositionem excipit et exsequitur: itaque οὔτι tenendum est, quod solum excipere potest οὐ negatio sequentibus verbis identidem repetita.*

V. 35 ἄρτος τρισκοπάνιστος *L*, deteriores et mixti inter δυσκοπάνιστος et δυσκοπάνιστος fluctuant. Absurdum δυσκοπάνιστος, contra τρισκοπάνιστος comprobatur sermonis graeci usu, qui in tali re numerum adamat ternarium, velut τριγέρων τρίκλυστος τρικυμία τρίπαλτος τριπλεκῆς τρίπολος τρις μάκαρ τριτάλας Τρίφαλλος Τριφάλης.

V. 55 ταῦτα γὰρ ὑμῶν ἔστιν ἐδέσματα τῶν κατὰ λίμνην *L*, ὑμέτερ' ἔστιν *V*. Utraque lectio potest tolerari cf. δᾶερ ἐμείο κυνός Z 344 et δαῆρ αὐτ' ἐμός ἔσκε κυνώπιδος Γ 180. Sed facili atque iucundo cursu placet versus qualem exhibet *L*, meris dactylis volubilis legitur in *V*, obstrepente insuper auribus ingratissime *e* vocali quinquiens repetita.

V. 63 κράτει δέ με, μήποτ' ὀλισθηῖς (lege ὀλίσης) *L*, μήποτ' ὄλῃαι *V*. Omnium facile quas *L J F* praebent lectiones peculiare pulcherrima et elegantissima, cf. Luc. dial. mar. 15, 2 de Europa: ἡ δὲ πάνυ ἐκπλαγῆς τῷ πράγματι τῇ λαιῶ μὲν εἶχετο τοῦ κέρατος ὡς μὴ ἀπολισθάνοι, τῇ ἑτέρῃ δὲ ἠνεμωμένον τὸν πέπλον ζυνεῖχεν. Detestabile contra omen foret muri quod sive ex eventu sive ex v. sq. homoeoteleuto deteriores intulerunt μήποτ' ὄλῃαι.

V. 93 mus haec extrema verba moribundus facit: οὐ λήσεις γε θεούς, Φυσίγναθε, ταῦτα ποιήσας. Sic *L*, pro γε θεούς habet *V* δολίως. Iam conferas Luciani epigr. A. P. X 27

Ἄνθρώπους μὲν ἴσως λήσεις ἄτοπόν τι ποιήσας,  
οὐ λήσεις δὲ θεούς οὐδὲ λογιζόμενος.

Sententia est Psittaci vel Thaletis<sup>1</sup>, verba cum Batr. v. mire congruunt, quem ni fallor imitatur Lucianus, quia quod illic

<sup>1</sup> cf. Duebneri annotationem.

γε particula significatum est, hic longius exponitur. Utcumque autem res se habet, tuetur Lucianus meliorum lectionem.

V. 96 ἀλλ' ἀπατήσας *L*, ἀλλὰ πλανήσας *V*. Baumeister p. 16 ἀπατήσας manifestam dicit vocis paulo rarioris πλανήσας explicationem, cupidius quam verius, nam Hesychius non minus πλάνη· ἀπάτη. πλάνος· πλανήτης, ἀπατεῶν interpretatur quam ἀπατῆ· πλανῆ, φενακίζει. ἀπάτη· πλάνη, ψεύδος. At Homero omnino non usurpatur πλανάω nisi propria significatione Ψ 321 ἵπποι δὲ πλανῶνται, contra O 33 καὶ μ' ἀπάτησας\* cf. I 344.

V. 110 εἰ καὶ μάλα πολλὰ πέπονθα *L*, πεπόνθειν *V*. Gaudeo quod hoc loco adstipulantem habeo Herwerdenum p. 166, nisi quod ille correctum putat id quod si nos sequeris genuinum est: 'nam quin verum sit πέπονθα, ne punctum quidem temporis potest dubitari'. Ceterum alterum hemistichium desumptum est ex ρ 284.

V. 112 εἰμὶ δ' ἐγὼ δύστηνος *L*, εἰμὶ δὲ νῦν ἔλεεινός *V*. Verba δύστηνος et ἔλεεινός ita apud Homerum distinguuntur, ut prius non adhibeatur nisi personaliter, alterum impersonaliter exceptis his locis: Φ 273 Ψ 110 Ω 309, 504, ζ 327, τ 253, id est vergente iam cantu epico. Optime igitur δύστηνος, sic Andromache quoque mariti mortem deflens X 477 Ἔκτορ, ἐγὼ δύστηνος.

V. 120 videntur omnes librorum scripturae exhibendae, ut quam misere plerique a vero aberrant intellegatur: ἄγεθ' ὀπλίζεσθε καὶ ἐξέλθωμεν ἐπ' αὐτοὺς *L J F M D K Q O l γ*, ὀπλισώμεθα *N x V c T e*, ὀπλιζόμεθα *ι*, ὀπλιζώμεθα *E*, ἄγ' ὀπλιζώμεθα *P*, ὀπλισώμεσθα *g*, ὀπλισώμεθα *b*, ὀπλισόμεσθα *a z*, ὀπλισόμεθα *S*, ἄγε καθοπλισώμεσθα *A G*. Itaque cum ex altera parte stet imperativus ὀπλίζεσθε, ceteri omnes in ea una re consentiunt, quod personarum student mutationem tollere. At meliorum egregia lectio testatur, qua elegantia Homerum poeta sit imitatus, quam nequeo melius inlustrare quam duobus locis homericis compositis:

φ 134 ἀλλ' ἄγεθ' οἵπερ ἐμεῖο βίη προφερέστεροί ἐστε, τόξου πειρήσασθε, καὶ ἐκτελέωμεν ἄεθλον.



et φ 179 ὄφρα νέοι θάλποντες, ἐπιχρίοντες ἀλοιφῇ,  
τόζου πειρώμεσθα, καὶ ἐκτελέωμεν ἄεθλον.

Illic enim Telemachus patris arcum ipse tendere iam conatus ceteros ad certamen experiendum cohortatur, hic Antinous et ceteros procos et se ipsum ut certaminis initium faciant incitat. Troxartes vero sicut Telemachus se excipit nimirum ut regem.

V. 136 κῆρυξ ἔγγυθεν ἦλθε φέρων σκῆπτρον μετὰ χερσίν *L*, ῥάβδον *V*. Nonne sentis omnem huius versus salem pessumdari, si pro caduceo, sollemni praeconum insigni, virgam manibus tenere Tyroglyphus dicitur? Interpolatio deteriorum est aperta, cf. Hesychii glossa: σκῆπτρον· κυρίως μὲν πᾶσα ῥάβδος.

V. 138 ἀγγέλλων πολέμοιο κακὴν ἔριν, εἶπέ τε μῦθον *L*, κακὴν φάτιν, εἶπέ τε τοῖα *V*.<sup>1</sup> Non agitur de belli infausti fama, hanc enim unam significationem φάτις apud Homerum tenet. Meliorum scriptura his opinor stabilitur exemplis homericis: γ 161 ἔριν ὤρσε κακὴν, Γ 7 κακὴν ἔριδα προφέρονται, Λ 529 κακὴν ἔριδα προβαλόντες, Ξ 389 αἰνοτάτην ἔριδα πτολέμοιο, Ρ 253 τόσση γὰρ ἔρις πολέμοιο δέδθεν. Increpat porro Herwerden p. 172 verba εἶπέ τε τοῖα ut formulam poetae Alexandrino magis quam Homero veterique epico convenientem. Vides in ipsum recidere plagam: ὁμηρικώτατον enim quod meliores praebent εἶπέ τε μῦθον.

V. 174 μυσὶν ἄρ' (ἄρ' *JF*) ἐπαλεξήσουσα πορεύση; *L*, μυσὶν ἄρα βοηθήσουσα πορεύση; *V*. Vox βοηθεῖν Homero ignota, sed multo in usu lexicographis: Suidas τῷ ἐπαλεξήσων (Λ 428) βοηθήσων, Hesychius ἀπαλεξήσειν βοηθήσειν. ἀρήγει βοηθεῖ. ἀρήξειν βοηθήσειν. ἀρρωγεῖ βοηθεῖ. ἐπαρήξει βοηθήσει. Accedit quod procul dubio poetae observatus est locus homericus Θ 364 sq., quo Minerva, quam etiam in *Batr*. Iuppiter adloquitur, haec facit verba: αὐτὰρ ἐμὲ Ζεὺς τῷ ἐπαλεξήσουσαν ἀπ' οὐρανόθεν προΐαλλεν. Cf. etiam Θ 385 sq. cum *Batr*. v. 182.

<sup>1</sup> Tertiam lectionem librorum fS vitio καὶ μὴ φάτιν vel φάτην subesse monet Usener: ἀγγέλλων πολέμου καινήν φάτιν.

V. 206 ἀκόντισε Πηλείωνος *L N soli*, ceteri Πηλείωνα. Iterum suis verbis impugnetur Herwerden (p. 174): 'vetus poeta epicus procul dubio ad Homeri exemplum scripsisset ἀκόντισε Πηλείωνος, sed nostrum Atticos sequi maluisse nihil est quod miremur'.

V. 208 in varias partes discedunt librorum scripturae, quas nominatim liceat afferre, ut singularum origo perspiciatur:

I ψυχὴ δ' ἐκ σώματος ἔπτη *J M D K Q O l y x z P d e*  
et *f S* (quorum uterque θυμὸς pro ψυχῇ)

II ψυχὴ δὲ σώματος ἔπτη *L F N u*

III ψυχὴ δ' ἐκ στόματος ἔπτη *V B R X E b t*

IV ψυχὴ στόματος δ' ἐξέπτη *A G a e g*

Optio data est per metrum inter I et IV, sed IV redarguitur particula adversativa tertio loco posita. Nihil igitur restat nisi hanc statuere lectionis discrepantiae originem: lectio genuina est I, unde levi errore II nata est. Genuinam lectionem corrumpunt deteriores (III), medendi causa inventa est IV. Vides igitur cuius farinae sint editorum 'optimi' *A G*.

V. 240 κείμενον ἐν γαίῃ λίθον ὄβριμον *L*, ἐν πεδίῳ *V* (ἐν δαπέδῳ lusit *P*). De planitie nusquam sermo, immo teste v. 154 in ipsa lacus ripa praerupta pugnatur.

V. 272 ὦ πόποι, ἦ μέγα θαῦμα τόδ' ὀφθαλμοῖσιν ὀρῶμαι *L*, μέγα ἔργον ἐν ὄφθ. *V*. Versus qualem exhibet *L* est homericus: *N 99, Y 344, Φ 54*, cf. *τ 36*. Sed ne eum putes ob id ipsum esse interpolatum: male deteriores ἐν ὀφθαλμοῖσιν, si Schoemannum<sup>1</sup> audis, qui hoc apud Homerum inter utrumque docet interesse, quod ἐν ὄφθ. de iis rebus dicatur, quae in conspectu alicuius sint vel fiant, datus ubi adhibetur, oculi tamquam instrumenta videndi cogitentur. Quae observatio ut est verissima, ita meliorum lectioni succurrit. Nam qui exempla homerica dictionis ἐν ὀφθαλμ. perpenderit, *A 587, Γ 306, Σ 135, 190, θ 459*, facile intellet, Iovem quem cum reliquis caelestibus inde a v. 196 sq. scimus esse pugnae

<sup>1</sup> Animadv. ad Arist. Ach. Opusc. IV p. 181, quem locum mihi indicavit Wachsmuth.

spectatorem, non posse mirari quod in conspectu suo res ulla agatur.

Hos viginti fere locos delegi, quibus certis potest rationibus demonstrari meliorum librorum praestantia. An serio contendis, poetam qui totus nititur Homeri imitatione, ipsius usus homerici non satis gnarum tot locis emendatum esse ab eo librario, qui meliorum condidit prototypon? Novum plane hoc atque inauditum, poetae munus iniungere librario. Immo in hoc quoque epyllio ea qua adsolet via progressa est lectionis depravatio eoque facilius, quo magis in promptu erat quae in genuinis homericis carminibus erant elaborata, ea ad hoc transferre subditicium carmen. Praeterea ut in vili corpore mera petulantia quae quisque vellet lusit mutavit corruptit. Itaque fieri potuit ut existeret, qui quae ab aliis temptata inveniebat, data opera veris poetae verbis intexens eam concinnaret recensionem, unde deteriores libri fluxerunt, dum meliores integriorem memoriam servant. Meliores appellavi, non bonos vel optimos. Nam ne eos quidem interpolatione carere iam comprobabo argumentis sat luculentis.

V. 20 Physignathus si meliores audis natus est παρ' ὄχθαις Ὠκεανοῖο, si deteriores παρ' ὄχθας Ἡριδανοῖο. At hoc certissimum maris in litore neque parere neque omnino vivere ranas. Unde nata sit interpolatio, non diu quaeremus: Eridanum enim Oceani et Tethyos filium dicit Hesiodus Theog. 338. Itaque in ripa fabulosi fluminis se procreatum praedicat Physignathus; hoc enim verius quam quod excogitavit scholiasta *M*<sup>b</sup> ad v. 20: ἐξ Ἡριδανοῦ δέ, παρόσον ὁ Ἡριδανὸς τῶν ἄλλων ποταμῶν θερμότερον φέρει [τῶν ἄλλων] τὸ ὕδωρ, οὗ χρεία τῇ τοῦ βατράχου γεννήσει.

V. 36 ἔχων πολλὴν σισαμίδα *L*, πολὺ σησαμότυρον *V*. Utrum verius sit in aperto est. Mutilatum autem in fine versus videtur fuisse meliorum prototypon ideoque ex aliqua paraphrasi remedium petitum; cf. quae Theodori Gazae esse dicitur metaphrasis interlinearis in editione Florentina 1804 (*x*): οὔτε πέμμα εὐρύπλαστον ἔχων πολλὴν σησαμίδα καὶ τυρὸν τετριμμένον.

V. 66 ἄλματι καλῶ *L*, ἄλματι κούφῳ *V*. Alterum omnino elegantius priore. Cf. Eur. El. 437 κούφον ἄλμα ποδῶν, Soph. Ai. 1287 ἄλμα κουφιεῖν, Orpiani Hal. III 101 ἄλματι κούφῳ ὀρμῆσαι, Heliodor. Aethiop. IV 17 κούφοις ἄλμασιν εἰς ὕψος αἰρόμενοι, Orph. hymn. 54, 23 ἄλματι κούφῳ. Aperte denique comparat Baumeister Hor. Sat. II 6. 98 de mure agresti 'domo levis exsilit'.

V. 99 ταῦτ' εἰπὼν *L*, recte homericam formulam ὡς εἰπὼν servavit *V*.

V. 114 γαλέη τρώγλης ἔκτοσθε λαβοῦσα *L*, ἔκτοσθεν ἔλοῦσα *V*. Suspicio poetæ in animo fuisse μ 310 οὐς ἔφαγε Σκύλλη γλαφυρῆς ἐκ νηὸς ἔλοῦσα. Accedit Hesychii glossa: ἐλόντες· λαβόντες, item ἔλε· λαβέ. ἐλοῦσαι· λαβοῦσαι. Eandem igitur glossam in meliorum familiam credo inrepsisse.

V. 152 νῦν γὰρ ἐγὼν ἐρέω *L*, recte exhibet *V* τοιγὰρ ἐγὼν ἐρέω Homero usitatum.

V. 176 deteriores integrum servaverunt, meliores omisso παντοδαποῖσιν exhibent καὶ θυσιάων ἐδέσμασιν, unde Chalcondylas coniecit καὶ ἐδέσμασιν ἐκ θυσιάων. Genuinam lectionem in corruptis meliorum verbis latere vix tibi persuaseris.

Haec exempla perlustrantem fugere non potest, in exeuntibus et ineuntibus potissimum versibus meliores libros interpolatione esse corruptos. Quod casu esse factum non est veri simile, immo illorum prototypon admodum male fuisse comparatum praecipue in extremis versibus potest demonstrari. Atque faciunt huc maxime v. 91, ubi pro βάρος ἦσαν ἐπ' αὐτῷ *L F* habent βάρος φέρον, v. 187, ubi pro deteriorum clausula οὐκ ἐθέλησω meliores exhibent βουλήσομαι, v. 246, quem *L u* soli his verbis claudunt ὑπὸ δούρατι χεῖρεσσι, nimirum quia mutilato utebantur exemplo. Detrito igitur exempli margine librarius glossemata ad versum explendum arcessivit velut v. 20, 36, 99, 114, 152, 176, 187, versus 66, 91, 246 pro suo captu sanare studuit.

Sed in medio quoque versu in melioribus interpolationes deprehenduntur. Velut v. 86 δὺ δὲ βάθος λίμνης καὶ ἀλεύατο κῆρα μέλαιναν, meliores καὶ ἔκφυγε admissio hiatu, cui mederi

possis coniectura καὶ ὑπέκφυγε. Pro v. 118 sq., 'quales recte exhibet Baumeister, meliores: ὁ τρίτος δ' ἦν ἀγαπητὸς ἐπὶ μῦθος ἐλέλειπτο, τοῦτον ἀπέκτεινε βάτραχος κακὸς ἔξοχος ἄλλων. Ad interpolationem cf. β 365 μῦθος ἐὼν ἀγαπητὸς et Hesychii ἀγαπητόν· μονογενῆ, κεχαρισμένον. Ceterum vix casui tribuerim quod brevem syllabam ante ἐλέλειπτο producit interpolator, conlato θ 475 ἐπὶ δὲ πλείον ἐλέλειπτο\*. V. 192 ἐφώνησεν *L F N d*, φώνησεν *J*, ἐβόησ' ἀλέκτωρ *E B g*, ceteri ἐβόησεν ἄλ. recte; nam *J* manifeste emendavit id quod in meliores interpolatione inrepsit, cf. Suidae ἐβόησεν· ἐφώνησεν.

Itaque hoc est certissimum utrumque codicum genus debere in recensione adhiberi, sed ita, ut melioribus suis honor tribuatur atque auctoritas. Meliores igitur sequamur oportet, ubi per se vix utra potior sit lectio potest diiudicari. Cuius rei pauca adiungam exempla. Atque de v. 56 non est cur dicam, ubi μειδήσας tenent omnes praeter *A G a e g*, qui exhibent μειδιάσας. Facit igitur nobiscum insciens et invitus Herwerden his verbis: 'Poeta Ionicus scripsisset μειδήσας'. Sed alios dico ancipites locos: v. 24 ἡμείβετο *L*, ἀπαμείβετο *V*. Homerus cum φώνησέν τε semper coniungit ἀπαμείβετο, sed nescio an voluerit poeta gravioribus numeris lepidum muris responsum inducens audientium risum elicere. Illi cum displicerent ut solet posterioribus temporibus, interpolationi aditus erat. V. 40 θοίνην *L*, θοίνας *V*, quae lis non potest componi nisi auctoritate librorum. Idem valet de v. 103 ἐκέλευον *L*, ἐκέλευσαν *V*. Etenim cum eadem discrepantia in homericorum quoque carminum libris manu scriptis<sup>1</sup> cernatur, facile in hoc carmine potuit oriri. V. 82 ἔξαπίνης *L*, ἔξαίφνης *V*, utrumque homericum, alterum altero explicat Hesychius. V. 200 ἐσάλπιζον *L*, ἐσάλπιγξαν *V*. Non multum refert utrum eligamus, sed imperfectum fortasse aptius ad lituorum sonitum describendum. V. 241 ἐκλάσθη *L*, ἐάγη *V*. Legitur ἐκλάσθη apud Homerum semel, *A* 584 ἐκλάσθη δὲ

<sup>1</sup> cf. B 442 κέλευσεν: κέλευε Vind., I 658 κέλευσεν: κέλευε Eustath., η 262 κέλευσεν: ἐκέλευε al., ζ 211 κέλευσαν: κέλευον al.

δόναξ, sexiēns ἑάγη, in extremo versu Λ 559 paenultima producta. Suidas ἑάγη ἑθραύσθη, ἑκλάσθη, Hesychius ἑαγή κλασθῆ. Itaque quaeritur productionem potius in ἑάγη an correptionem in ἑκλάσθη admiserit poeta. V. 292 ἑλέησε *L*, ὄκτειρε *V*, utrumque Homero usurpatum.

His igitur locis meliorum auctoritati cedendum. Fieri denique potest, ut ex utroque genere vera debeat concinnari lectio. Unum proponam exemplum, v. 58, ubi

πολλὰ καὶ ἐν λίμνῃ καὶ ἐν χθονὶ θαύματ' ἰδέσθαι *L*,  
 πολλὰ μάλ' ἐν λίμνῃ καὶ ἐπὶ χθονὶ *V*. Magno opere commendatur in priore lectione καὶ coniunctio repetita, qua membrorum aequabilitas efficitur. At hiatus καὶ ἐν ferri nequit, rectissime ἐπί, cf. καὶ ἐπὶ χθονὶ \* A 88, π 439, ἐπὶ χθονὶ\* Υ 483, θ 222. Restituendum igitur πολλὰ καὶ ἐν λίμνῃ καὶ ἐπὶ χθονὶ θαύματ' ἰδέσθαι.

## IV

*Animadversiones criticae.*

Prooemium a vetere poeta non potuisse scribi vidit Althaus p. 41; innumera enim fere sunt quae reprehendas: Musarum Heliconiarum totum chorum invitat ἑλθεῖν εἰς ἦτορ, qua ratione recte monet etiam Herwerden non posse Musarum inspirationem indicari. Carmen iam compositum (v. 3): itaque Musae nihil sunt nisi ὑποφήτορες ἀοιδῆς, quae Alexandrinis demum sunt poetis, Apollonio Arg. I 22, Theocrito IX 28, dein Catullo c. 68, 45; cf. Lachmann ad Propertium p. 90 sq. V. 3 qua quaeso ratione explicabis? barbarum plane est ita loqui. Sed confert Baumeister fragmentum incertum καὶ γὰρ ὅτε πρῶτιστον ἐμοῖς ἐπὶ δέλτον ἔθηκα γούνασι, quod Hecker, Schneidewin, Bergk Callimacho tribuunt (cf. Schneider Callim. II p. 752 sq.) idque satis probabiliter. Concedo: mirificus verborum concentus, at sententia illic plana et dilucida hic pessime distorta et obscurata. V. 5 μέρορες absolute dicitur, cuius usus in poesi hexametra non invenio exempla Callimacho (frg. 418

Schn.) priora et Apollonio, qui semel Arg. IV 536 ὡς κεν ἄφαντος αἰετὸς μερόπεσσι πέλοιτο, scilicet ut lusum etymologicum inferret; ab illo tempore omnes sic locuntur. Soloecismos ἐς οὐατά τινι βαλέσθαι et βῆναι ἐν βατρ. recte reprehendit Althaus, Homeri autem nullam inveniri similitudinem praeter ἔργον Ἄρηος. Denique quid muribus cum gigantibus commune vel simile, nisi quod hi Gigantomachia, illi Batrachomyomachia celebrantur? Itaque ne unus quidem versus severiorem sustinet inquisitionem. At facile est unum alterumve versum exterminare ex eo prooemio, quod ut cum Althausio loquar, constat ex uno enuntiato per octo versus ita extento, ut singuli versus pannorum instar laxissime adsuti videantur. Sic Herwerden eiectis v. 3 et 4 gravem sane offensionem submovet, non leviores relinquit, ut omittam v. 3 et 4 exterminatis sic se excipere verba: ἐπέυχομαι εἶνεκ' ἀοιδῆς εὐχόμενος. Eodem iure quintus insuper v. potest eici, ut v. 2 cum v. 6 cohaereat. Immo totum prooemium reiciendum est ut recentioris aetatis fetus. Idem res metrica v. 1—7 docet cum v. 9—15 comparata: caesuram post tertium trochaeum habes v. 1—7 quater, v. 9—15 semel; penthemimeren v. 1—7 ter, v. 9—15 quinquies; caesuram bucolicam v. 1—7 sexies, v. 9—15 ter; meri dactyli illic caesura trochaica tertii pedis volubiliores fiunt (v. 5), hic fortibus caesuris retardantur (v. 11, 13). Nulla denique per septem versus utriusque generis librorum exstat varia lectio, id quod in hoc carmine fere inauditum est nisi locis procul dubio recentioribus.

V. 14 includit Draheim minas exspectans ranae, si murrem mentitum sensisset; sed adhortatio ranae desideraretur, quid igitur eiecto versu lacunam statuamus? Verba μὴ ψευδόμενόν σε νοήσω confirmant tantum modo quod dictum est πάντα δ' ἀλήθευσον ex usu sermonis graeci late patente, quem copiosius explicat Bekker *Hom. Blätter* II p. 222 sq. Legitur ἀληθείω voci ψεύδομαι oppositum Plat. Apol. 34 B, Crat. 431 B, Aristot. Eth. ad Nic. IV 7.

V. 21—23 includit Draheim: 'rana', inquit, 'neque haec videre potest neque si videret, dubitare num amicitia sua mus

dignus sit'. Sed ideo rescindemus orationis epilogum qui apte traducit ad muris responsum? Hoc fieri neque potest nisi intercidisse pristinum epilogum statueris neque necesse est, cum leniore medicina liceat v. 22 exterminare qui solus offendit; quamquam non credo quidquam tribuendum esse libris deterioribus v. 22 sq. omittentibus.

V. 26 inclusit Wachsmuth l. c. p. 185; omittitur non solum ab *Ltz* sed etiam a deteriorum principibus *VBU*.

V. 30, 31 Draheim eicit, rectissime si conexum tenes sententiarum; nil adferunt ad muris nobilitatem confirmandam, immo vero minuunt. Ceterum satis probabiliter Hugo Stadtmüller *Festschrift zur XXXVI. Philologenvers. zu Karlsruhe 1882* p. 63 pro βρωτοῖς proponit τρωκτοῖς, quo nomine veteres σῦκα et κάρυα complecti demonstrat.

V. 36 interpolatum quin censeam facere non possum. Falso Baumeister adnotat *AG* exhibere οὐ πλακόεις, cum Barnesius haec: 'Pro οὐδὲ πλακοῦς, quod olim aderat, lego οὐ πλακόεις ut εὐρυθμότερον et magis poeticum'. Recte vidit Barnesius non posse dici οὐδὲ, quia sequitur οὐ saepius repetitum. Neque vero Draheim<sup>1</sup> formam πλακόεις<sup>2</sup> recipere ausus est. Accedit aliud. Nam qui ordo fuit Graecorum in epulis adornandis, ut primum panis, deinde carnes, tum mensae secundae caseus et placenta adponerentur, eundem in cibis enumerandis mus servat non sine poetae consilio: unus resistit v. 36. Itaque nisi v. 39 de placentis esset sermo, illuc transponendus foret versus. Iam expellendus est licet non inlepide Ἑλένης τανυπέπλου admonens.

V. 40, 41 num genuini sint potest addubitari: v. 41 Draheim expunxit ut appendicem sermonis iam conclusi, sed etiam v. 40 ea quae v. 33 sq. legimus αὐτὰρ ἔμοιγε ὄσσα

<sup>1</sup> Exhibet οὐδὲ πλακοῦς post σησαμότυρον fortius interpungens, id quod nihil valet.

<sup>2</sup> legitur, si omittis Ath. XIV p. 644 b et Eustath. p. 649 et 1114 grammaticae disserentes, in Theodoridae epigr. A. P. VI 155 καὶ πλακόντα . . . πίονα τυροφόρον.



παρ' ἀνθρώποις τρώγειν ἔθος repetuntur cum simili quodam dictionis colore. Scite porro ab hominum mentione (v. 34) ad deos ipsos poeta ascendit v. 39 τὸ καὶ μάκαρες ποθέουσιν, ita ut vix v. 40 ad mortales relabi possit.

De v. 42—52 qui ut omittuntur a deterioribus, ita omnium consensu ab hoc loco alieni sunt, accuratius egit Ludwig<sup>1</sup> *Zeitschr. f. österr. Gymn.* 1881 p. 170 sqq., qui hoc egregie vidit v. 46 et 47 verba πόνος et ὕπνος esse permu- tanda. Ceterum non credo illos versus e pugnae descriptione huc esse delatos, adnexi sunt negationum enumeratione v. 34 sqq. ad interpolationem invitante, quod idem factum est de v. 53—55. Omnino vero inter v. 42, 43 et 44—52 hoc interest, quod illi vetustiore, hi recentiore prae se ferunt originem: v. 42 sq. qui condidit ore homerico potuit loqui; cf. A 491 sq. οὔτε ποτ' ἔς πόλεμον, ἀλλὰ φθινύθεσκε φίλον κῆρ αὔθι μέ- νων, ποθέεσκε δ' αὐτήν τε πτόλεμόν τε, Σ 188 πῶς τ' ἄρ' ἴω μετὰ μῶλον\*, Θ 99 προμάχοισιν ἐμίχθη\*. Contra per v. 44—52 haec tantum reperis Homeri similia: ἐπεὶ οὐδέ σέ γ' ὕπνος ἰκάνει K 96, ἐπεὶ οὐ μοι ἐπ' ὄμμασι νήδυμος ὕπνος ἰζάνει K 91 sq., πᾶσαν ἐπ' αἶαν\* Ψ 742, multa insunt valde improbanda ut μέγα σῶμα φορεῖν (cf. Opp. Cyn. I 200, Arche- strati rell. rec. W. Ribbeck 41, 3, p. 15), v. 46 expectaveris tale quid: τὸν δ' οὐ γλυκὺς ὕπνος ἴκανε, νήδυμος cf. hymn. Ven. 171, v. 47 malim ἀπέληγε pro ἀπέφευγε πόνος, ut ta- ceam de v. 50—52 qui singuli adsuti videntur.

V. 53—55 rectissime uncis inclusit Draheim: 'sibi ipsi', inquit, 'mus contradicit, nam etiam his homines vescuntur. Ceterum ne ad haec quidem rana respondet'. Addere debuit inter v. 39 (vel si mavis v. 41) et v. 53 (scilicet omissis v. 42—52) ita hiare orationem ut omnino cohaerere nequeant. Omnium denique gravissimum hoc est, ne ranas quidem vesci raphano brassica concurbitis, ut uno verbo comprehendam, plantis, sed rapto vivere. Accedit quod quae ex his versibus

<sup>1</sup> cf. etiam Stadtmueller l. c. p. 62 sq.

ficta sunt ranarum nomina Σευτλαίος, Κραμβοφάγος, Πρασσοφάγος, Πρασσαίος, Κραμβοβάτης praeter Seutlaei nomen quod debetur v. 209 certe interpolato, altero tantum librorum genere exhibentur. Itaque versui 39 statim v. 56 subiungendus est.

V. 60 recte omittunt meliores philosophorum notionibus inepte v. 59 explicantem. Sed ne v. 61 quidem genuinus est, nam qua per v. 58, 59, 62 detinemur de ranarum pastu cogitatione, ea dirimitur v. 61, qui tantum modo est de ranis et in aqua et in terra viventibus sine ulla pascendi notione.

V. 64 damnanti Draheimio omnino subscribendum est.

V. 68 pro ἀλλ' ὅτε δή ῥα meliores exhibent ὡς δέ μιν ἦδη, genuinae ni fallor lectionis vestigium: potuit enim verba ὡς δέ μιν ἦδη activa constructio sequi eandem quam v. 69 sententiam exprimens, quae nunc expulsa videtur recentioris poetae conatu: v. 69 duae occurrunt correptiones atticae, sollemnia per hoc carmen interpolationis indicia, v. 70 contorta atque obscura brevitate offendit, quo vitio vetus poeta minime tenebatur. Alteram vero manum hoc loco grassatam esse testatur etiam v. 72, quem ignorant meliores v. 73 pro δεινὰ δ' exhibentes δεινόν.

V. 74—81 certa sede carent sine dubio in archetypi margine olim adscripti. V. 74 sq. murem describunt a rana relictum et nare conantem, sed non coeunt cum v. 87 sq.; v. 76 ex v. 69 repetitus est (ὑδάσι πορφυρέοισιν ἐκλύζετο πολλὰ δακρύων *L*); v. 77 in deterioribus pessime interpolatum omittit *L*; v. 78—81 quales Ludwig *Zeitschr. f. österr. Gymn.* XXXII 1881 p. 173 certissime restituit, optimi quidem, sed Alexandrinae aetatis colore insignes.

V. 82—91 si sunt plani et integri, poetam hoc loco somniari fatendum est: v. 86 repetit quod v. 84 legitur, v. 88 praeoccupat quae secuntur v. 92, v. 91 denique ab inepto quodam lectore conditus est. Itaque optime de his versibus iam meritis est Althaus p. 31, v. 86, 88, 91 obelo notatis. Atque quamquam potest ea ratione narrationis cursus restitui, tamen ne sic quidem omnes removentur scrupuli: non bene

se excipiunt v. 87 et 89 (ἐς ὕδωρ — ἐφ' ὕδατι), neque v. 88 a v. 87 separaverim, quocum melius coit quam cum v. 89 sq. Itaque duae eiusdem rei narrationes in unam videntur coaluisse, quae qua ratione discernendae sint facilius conici potest quam demonstrari.

V. 93—98 tales quales leguntur non possunt ab eodem poeta esse profectae: oratio muris significatione futuri temporis et incohat et clauditur, media vero irritae rei enuntiatione discinditur, quae cum iis quae antecedunt aut secuntur omnino non cohaeret; id quod sensit qui in mixtorum quorundam fonte pro οὐκ ἄν μου dedit οὐ γάρ μου; v. 93 meliorum lectionem γε θεοῦς pro δολίως supra p. 19 Luciani imitatione stabilivi: commiscetur igitur deorum (v. 93), dei (v. 97), murium exercitus (v. 98) ultionis imprecatio; v. 95 sq. hoc novum, quod mus plane sui dissimilis existit fortitudinem suam iactans; non placet quod repetitur ναηγὸν ῥίψας et εἰς ὕδωρ μ' ἔρριψας; male producitur v. 97 paenultima vocis ὕδωρ in thesi; vox ἔκδικος postquam a tragicis pro 'exlege' usurpatum est, recentiore tempore in eam significationem, quae hoc loco desideratur, transiit, cf. Eust. Il. 29, 34; 1032, 31; quibus omnibus eo ducimur ut v. 95—97 veteri poetae abiudicandos censeamus. Quos qui inseruit memor fuit fabulae Aesopeae μὺς καὶ βάρταχος (Halm p. 147): ὅτι, καὶ νεκρὸς ἦ τις, ἰσχύει πρὸς ἄμυναν· ἢ γὰρ θεΐη δίκη ἐφορᾷ πάντα. V. 94 pro ναηγὸν ῥίψας meliores praebent ἐς λίμνην με ῥίψας quorum prius tantum numeris sufficit; sententiam Ilgen sic explicat: 'Barbarum est naufragum, si petram amplexus fuerit, ut vitam servet, inde deturbare; non minore crudelitate se a rana a tergo excussum esse mus conqueritur'. Hoc sine dubio voluit poeta, sed quaeritur num forte v. 94 ex duobus versibus coaluerit sic constituendis: ἐς λίμνην ῥίψας μ' ἀπὸ σώματος, ὡς ἀπὸ πέτρης | ναηγὸν . . . reliquo versu mutilato. Quamquam haec comparatio ita sapit Alexandrinam aetatem, ut vix veteri poetae tribui possit.

V. 105—107 rectissime cancellis inclusit Draheim, ut quibus narrationis progressus impediatur. Accedit quod mare

subito factum est ex lacu, nec laxa placet v. 106 negationis οὐδὲ cum antecedentibus coniunctio. Recentiore aetate produnt verba ἐξήπλωτο, τλήμων pro 'misero', ἐπενήχето (Theocr. 23, 61, Call. Del. h. 21), correptio denique in νεκρόν. Iterum interpolatori obversabatur fabula Aesopea de mure et rana: μετὰ τρεῖς ἡμέρας φουσηθεῖς ὁ μῦς ἐπὶ τοῦ ὕδατος ἐφέρετο (*Notices et Extraits des Man. de la Bibl. Nat.* XXIII 2 p. 509), cf. fab. Aesop. coll. ed. Halm p. 147: ὁ δὲ ἄθλιος μῦς τῷ ὕδατι φουσηθεῖς ἐτεθνήκει· ἐπέπλει δὲ τῷ ποδὶ τοῦ βατράχου συνδεδεμένος.

V. 108—121 (eiecto v. 117 quem obelo notavit Wachsmuth l. c. p. 185) ut omnium fere integerrimi admodum idonei sunt, unde virtutis huius poetae imaginem animo concipias. Habes enim specimine probatum quanto opere sermonem homericum calluerit, qua arte fuerit in orationibus disponendis, quam laeta denique sententiarum festivitate luserit. Qui versus si soli ex toto carmine servati essent, quis quaeso de Pigrete auctore dubitaret?

V. 124 sqq. si cum arta atque concisa ranarum armorum descriptione v. 161 sqq. comparaveris, vix adverseris Althausio v. 126 et 128 damnanti, qui hoc quoque monere potuit, insulssissime esse dictum mustelae pellem detraxisse mures, ut taeciam esse illam crassiolem quam pro murium usu, de quorum ipsorum pelliculis scilicet mortuis detractis cogitabat poeta. Ceterum non de toto loco restituendo desperandum puto. Sic v. 127 ita restituo: θώρηκας δ' ἐφόρησαν ἐυρραφῶν ἀπὸ βυρσῶν. Habet *L* v. 128 ἐφόρησαν pro ἐποίησαν, inde in hunc v. transtulit M. Schmidt l. c. p. 127; quod vero proposuit ἐυστρεφῶν, non magis placet quam meliorum lectio καλῶν ἐυστρεφῶν; Herwerden l. c. coniecit καλαμορραφῶν pro καλαμοστεφῶν deteriorum. Utriusque inventum coniunxi collato β 354, 380 ἐυρραφέεσσι δοροῖσιν.

V. 149 iam Althausio absurdus visus est, qui hoc eiecto v. 150 scribi iubet οἱ δ' ἐμὲ vel νῦν δ' ἐμέ. Qui enim mus ranas natantes potest παρὰ λίμνην imitari? nec debuit dicere Physignathus νήξεις τὰς βατράχων, sed νήξεις ἡμετέρας.

V. 154 pro alterius hemistichii numeris plane absonis ὄπου κατάκρημος ὁ χώρος restituendum erit κατακρήμῳ ἐνὶ χώρῳ, cf. α 426 περισκέπτῳ ἐνὶ χώρῳ, Γ 344 διαμετρητῷ ἐνὶ χώρῳ, Μ 423 ὀλίγῳ ἐνὶ χώρῳ, η 123 λευρῷ ἐνὶ χώρῳ. Porro nimia ranae loquacitas iam Baumeistero fuit molesta, qui v. 156 et 157 sic coniungendos suspicatur: δραζάμενοι κορύθων ἐς λίμνην εὐθὺ βάλωμεν, quamquam ne sic quidem puto scripsisse poetam; recte enim εὐθὺ posteriorem ille dicit prodere aetatem (cf. Lobeck. ad Phryn. p. 145). Veri vestigium videtur servasse libri / lectio εὐθὺς ἔλωμεν. Denique v. 158 sq. a poeta abiudicare audeo, etenim omnino abhorrent ab totius carminis natura atque indole. Tropaeum Homero ignotum, ἀκόλυμβος in pedestri sermone a recentioribus usurpatur, frigidus verborum lusus in μυοκτόνον τρόπαιον, sane qui placuit Tzetzae Hist. V 522: γαλῆν τῶν μυοκτόνων. Correptio denique est in ὦδε τρόπαιον. Quanto opere vero Physignathi oratio retractatione oblita et corrupta sit, unum luculentissime demonstrat: nam ubi res ad manus venit v. 202 sqq., illius consilii mures in lacum deiciendi nec vola exstat nec vestigium.

Post versus elegantissimos 168 et 169 proterve interpolati sunt v. 170 sq. Nam v. 170 id quod v. 169 dictum est adeo auget et urget, ut supra modum excedere videatur. Omittit v. 170 *N*, sed homoteleuto fortasse lapsus v. 169. Nec modestior versu 170 sequens, neque Iuppiter dicere potest οἶος Κενταύρων στρατὸς ἔρχεται, cum et praeteritum desideres et murium ranarumque acies v. 166 constituta nondum in certamen prodeat.

V. 184—186 habet *L*:

- 1 τρώγλας δ' ἐμποίησαν τούτου χάριν ἐξώργισμαι.
- 2 χρησαμένη γὰρ ἔνησα καὶ οὐκ ἔχω ἀνταποδοῦναι.
- 3 καὶ πράσσει με τόκοις, τὸ δὲ ρίγιον ἀθανάτοισιν.

*V* praebet:

- I καὶ τρώγλας ἐτέλεσαν, ὁ δ' ἠπητής μοι ἐπέστη
- II καὶ πολὺ με πράσσει τούτου χάριν ἐξώργισμαι.
- III χρησαμένη γὰρ ὕφηναι καὶ οὐκ ἔχω ἀνταποδοῦναι.
- III καὶ πράσσει με τόκον τὸ γ' ἐρίπονον ἀθανάτοισιν.

*L* bene τρώγλας δ' ἐμποίησαν, non idem quod κατέτρωξαν v. 282, immo quod est 'nidus fecerunt'; deteriorum καὶ τρώγλας ἐτέλεσσαν mira est graecitas. Vocem ἠπητήν barbaram<sup>1</sup> esse omnes consentiunt, Phrynichus (v. Lobeck, adn. p. 91) Moeris, Photius (ἠπητήν οὐδεὶς εἶρηκε τῶν Ἑλλήνων, οὐδὲ ἠπητήριαν, ἀλλ' ἀκέστριαν). Non temere igitur a medio v. I ad medium v. II aberrantes illic posteriorem, hic priorem versus partem omiserunt meliores, sed spreta interpolatione in archetypo sine dubio satis perspicua. Potuerunt autem olim optime cohaerere, modo lacunam statuas, haec verba:

τρώγλας δ' ἐμποίησαν . . . . .  
 . . . . . τούτου χάριν ἐξώργισμαι.

Qui secuntur v. 2 et 3 ut cum interpolatione illa archetypi cohaerentes rescindendi sunt.

V. 187—192 nemo pro genuina poetae verba acceperit. An tribui posse credis hanc loquacitatem ei, qui tam dilucide composuit Troxartis illam orationem v. 110—121, qui v. 160—170 tam pressus et concisus est? Eaedem sententiae identidem inculcantur, exigua orationis membra accumulatur ne grammatico quidem vinculo coniuncta: ἐκ πολέμου ἀνιούσαν, ἐπεὶ λίην ἐκοπύθη, ὕπνου δευομένην, scilicet quia versus una cum sententia concludere nescit versificator. Itaque fit ut quattuor versus continui gravioribus interpunctionibus medii dirimantur omni fere numero pessumdato. At certius arguitur simius iste Homeri ipsius usus homerici inscitia: nam quid sibi volunt φρένες ἔμπεδοι? Obversabatur illi Z 352 sq.: τούτῳ δ' οὐτ' ἄρ νῦν φρένες ἔμπεδοι οὐτ' ἄρ' ὀπίσσω ἔσσονται, cum debuerit aut certe potuerit scribere φρένες αἴσιμοι collato ψ 14 πρὶν δὲ φρένας αἰσίμη ἦσθα. Male porro v. 187 abutitur formula homerica ἀλλ' οὐδ' ὦς, cum ponere debeat ἀλλ' οὐδὲ vel οὐ μὴν ἀλλ' οὐδέ; illuc eum metri necessitas detulit. Quis

<sup>1</sup> Quo uno adhuc legebatur loco Xen. Cyri paed. I 6. 16, nunc expulsum est auctore Cobeto ab A. Hugio; cf. Bekkeri An. Gr. I 364, 15: Ἄκεσταί· οἱ τὰ ἱμάτια ἀκούμενοι. Ξενοφῶν· ὡσπερ ἱματίων βαγέντων εἰσὶ τινες ἀκεσταί.

porro casu factum putaverit per v. 186—193 semper concinere sexti pedis ictum cum verborum accentu?

V. 194 sq. obelo notat Althaus p. 36, recte si quid video v. 195, qui offendit hiatu in καὶ εἰ θεός; de v. 194 potest dubitari.

V. 209 recte inclusit Draheim: inducitur enim Troglodytes v. 208 hostem interficiens idemque v. 213 ita describitur, ut quin ipse feriat dubitari nequeat. Haec artius inter se cohaerent quam ut alius certaminis mentio intercedere possit. Forma κέαρ ab antiquiore epica poesi abhorrens a Callimacho (ep. 4 Schn.) et Apollonio (A 274 Γ 641, 954, cf. Merkelii Prolegg. p. CXII) eadem in qua hic posita est versus sede admittitur. Denique Embasichytrum ut praeconem (v. 137) ipse proelio interesse nefas est.

V. 210 sqq. meliores et deteriores libri in diversissimas partes abeunt. Habet *L*:

- 210 Ἄρτοφάγος δὲ Πολύφωνον κατὰ γαστέρα τύπεν,  
 211 ἤριπε δὲ πρηνῆς, ψυχὴ δὲ μελέων ἐξέπτη.  
 212 Λιμνοχάρις δ' ὡς εἶδεν ἀπολλύμενον Πολύφωνον,  
 213 Τρωγλοδύτην ἀπαλοῖο δι' αὐχένος τρῶσεν  
 ἐπιφθὰς  
 213a πέτρῳ μυλοειδεῖ· τὸν δὲ σκότος ὄσσε κάλυψε.  
 216 Λειγῆνωρ δ' αὐτοῖο τιτύσκετο δουρὶ φαιινῷ  
 217 καὶ βάλεν οὐδ' ἀφάμαρτε καθ' ἦπαρ, ὡς δ' ἐνόησε  
 218 Κραμβοβάχος φεύγων βαθείαις ἔμπεσεν ὄχθαις.

Habet *B* (*V* enim manu altera retractatus):

- 210—212 om.  
 214 Ὠκιμίδην δ' ἄχος εἶλε καὶ ἤλασεν ὀξεί σχοίνῳ  
 213 Τρωγλοδύτην ἀπαλοῖο δι' αὐχένος· ἤριπε  
 δ' εὐθύς.  
 215 οὐδ' ἐξέσπασεν ἔγχος ἐναντίον· ὡς δ' ἐνόησεν  
 218 Κωστοφάγον φεύγοντα βαθείαις ἔμπεσεν  
 ὄχθαις.

Ex v. 210—218 quales ex *L* exhibui praeter ea quae cum altero librorum genere (*B*) concinunt, nihil genuinum est:

v. 210 Πολύφωνον et potuit et debuit aliter numeris includi, antepaenultima non producta; v. 211 synizesis in μελέων eademque in quinto pede ferri nequit, accedit caesura trochaica quarti pedis, verba autem conficta sunt ad exemplum v. 208; v. 212 ranarum nomina petita sunt ex v. 12; recte deinde Draheim: 'Πολύφωνον apte non dicitur, nisi eum, qui Polyphonum interfecit, aggredi Limnocharis in animo habet'; v. 213 τρώσεν ἐπιφθὰς nec metro admittitur et ἐπιφθάνω infimae graecitatis est; v. 213a ex Byzantinorum officina profectum itacismus in μυλοειδεῖ arguit; v. 216 Λειχῆνωρ existit vivus iam v. 202 sqq. occisus; v. 217 cave ne cum Bothio conicias καθ' ἥπατος, usui homerico magis quam metro consuluit interpolator. V. 218 fortasse Κραμβόμαχος voluit qui in *L* scripsit Κραμβοβάχος, cf. v. 163; alii Κραμβοφάγος exhibent, quod nomen originem duxit ex v. 53 procul dubio spurio.

Memoria libri *B* eo probabilior est, quod intra modicos versuum numeros se continet; at integram scripturam inde vix recuperabis. Nec placet nomen Costophagi, ne sic quidem ut ab hordeo (cf. κοσταί·κριθαί Hesychius) edendo mus sit denominatus, quia et vox ipsa festivitate caret neque hordeum murium, quales fingit poeta, gulis gratum videtur.

Ex utriusque generis lectione suam scripturam concinnavit *N*, qui ex *L* recepit v. 210, 211, ex *B* v. 214, 213, 215, 218. *M* utramque scripturam mirifice commiscuit. Nam in v. 210—213a perhibendis *L* secutus ad *B* transit versumque 214 describit. Qui deinde in *B* sequitur v. 213, quem iam ex *L* descripsisset, eum scite omittens Codex *M* ex *B* exhibet οὐδ' ἐξέσπασεν ἔγχος ἐναντίον. Iam in *B* sequitur ὡς δ' ἐνόησε. Sed cum ex antecedente versu ex *B* desumpto nondum descripsisset verba ἤριπε δ' εὐθύς et ὡς δ' ἐνόησε postea ex *L* v. 217 descripturus esset, perguit ἤριπε δ' εὐθύς, denique *L* secutus v. 216, 217, 218 sq. exhibet. Praeterea ante v. 215 miser versiculus inrepsit illius ad exemplum confictus: ἀλλ' ὁ μὲν ἔσπασεν ἔγχος, ἐφορμήθησαν δ' ἐπ' αὐτῷ. Libri denique *A G* alii deteriores v. 214 ex *B*, v. 210—213 ex *L*, v. 215, 218 ex *B* descripserunt.



Inter v. 219 et 220 lacuna statuenda est, nihil enim dicitur neque de telo neque quae corporis pars sit percussa; eodem spectat κάππεσε, quod antecedere subiectum necesse est.

V. 224 vereor ut genuinus sit. Conferas nomen Πτερογλύφος cum Πτερνοτρύκτης v. 29 et Τυρογλύφος v. 137: quae illis nominibus lepide faceteque significantur, hoc inepte conglutinata intelleges. Locutionis ἐς φόβον ἐλθεῖν vix simile exemplum reperias; neque vero Herwerdeno adsentendum, qui conlato P 579 αἴξαντα φόβονδε conicit ἐς φόβον ἦξεν<sup>1</sup>.

V. 226 damnandus, abest a melioribus testeque Baumeistero in deterioribus quibusdam post v. 229 legitur; olim in margine videtur fuisse adscriptus. Itaque de ranae nomine, quod Φιλτραῖον esse voluit Ilgen, non iam disputari debet; de Embasichytro cf. supra ad v. 209 dicta.

V. 232—236 spurios nomina arguunt, v. 232 sq. Prassophagi si meliores, Prassaei si deteriores audis, v. 234 sqq. Psicharpagis, qui ab inferis redire nequit. Itaque v. 237 statim excipere videtur v. 230 sq., ita ut iocose ad Borborocoeten ulsciscendum Pelobates (male deteriores Κραμβοβάτης) a poeta adsciscatur nominibus ab eodem fere argumento repetitis.

V. 238 duae correptiones suspectum reddunt, etsi altera defenditur loco homerico Ψ 186 ῥοδόεντι δὲ χρίεν ἐλαίῳ, haud incerta recentioris originis iudicia; accedit singularis verbi χρίειν notio. Quas salebras licet omnes removeas librum *z* secutus ludendo καὶ τὸ μέτωπον πλήξε καὶ ἐκτύφλου παρὰ μικρόν, tamen restat offensio insuperabilis, quod ad ἐκτύφλου non τὸ μέτωπον, sed αὐτὸν supplendum est.

V. 239 μουνώθη *L J* (sed *L* οὐνώθη omissa initiali littera minio pingenda), θυμώθη *N* et editio Florentina, ὠργίσθη *V* (mixtorum complures ὀργισθεῖς). Elucet hic libri *N* virtus comparatis similibus fere litterarum ductibus ΘΥΜΩΘΗ et (M) ΟΥΝΩΘΗ: illa lectio genuina, haec errore orta, solita denique interpolandi ratione θυμώθη cessit in ὠργίσθη.

<sup>1</sup> Sq. v. τῆλ' (libri τὴν) ἀσπίδα ῥίψας corrigendum esse monet Usener.

Ceterum v. 239 sqq. lepidissimam continent imitationem Hectoris Aiacisque certaminis apud Homerum H 264 sqq.

V. 242 optime exciperent v. 243 sqq., nisi exstaret v. 243 αὔθις, quod ut lacunam statuamus poscere videtur. Sed dedit poeta ἰθύς<sup>1</sup>, in archetypo pro καὶ ἰθύς fuit ΚΑΙΘΥΣ, unde intellegebatur καὶ αὔθις. Librorum *Q O l y x* fontem qui scripsit, legit καὶ οὔς, unde *Q O l y* καὶ οὔτος, *x* καὶ οὔτω.

V. 247 ne Troglodytes v. 213 occisus ab inferis rediret, meliores nomen Sitophagi (*J* Prassophagi) excogitarunt. Sed ne fluminis quidem usquam fit mentio, id quod offendisse videtur librarium *E*, qui scripsit ὄχθησι λίμνης.

V. 249 vox τάφρον (τάφρους dett.) interpolata prodit, neque enim fossae alioquin commemorantur.

V. 250 primo aspectu rectissime se habere videtur. Quid enim iustius quam Troxarten a filii proditore poenas repetere? Sed Πηλείων ille v. 206 interfectus nemo est nisi ipse Physiognathus. Hiatus ἐς πόδα ἄκρον similem neque tamen aequae violentum habet Quintus Smyrn. XIV 583 εὔτ' ἐπὶ ἄκρην.

V. 251 quem omittit *L*, duae respiciendae sunt lectiones:

ὤκα δὲ λίμνην ἤλλατο (ἤλατο *N*) τειρόμενός περ  
δεινῶς (αἰνῶς *N*) *JN*,

ἔσχατος δ' ἐκ λίμνης ἀνεδύσατο τείρετο δ' αἰνῶς *V*.

Itaque certa videtur coniectura mea

ἔσχατα δ' ἐκ λίμνης ἀνεδύσατο τειρόμενός περ.

V. 252 (om. *L*) soli *JNuz* servarunt verum nomen Τρωξάρτης, ceteri infulserunt ex v. 232 Πρασσαῖον, nimirum sq. v. ὄξεί σχοίνῳ pugnatur, ranarum ut scis telo.

Pro v. 253—259 in melioribus sola haec exstant:

252a καὶ οἱ ἐπέδραμεν αὔθις ἀποκτάμεναι μενεαίνων.

Quem si cum v. 252 licet unius versus lacunam intermittas coniunxeris, e tenebris vocatur in lucem, cum causa cur iterum in hostem irruerit Troxartes v. 252 aperiat.

V. 253—259 non audeo eo uno nomine damnare, quod

<sup>1</sup> Idem coniecit Stadtmueller, qui *Batr.* edidit in *Eclogis poet. Graec.* Lipsiae 1883 (vide adn. p. XIII ad hunc versum).

absunt a melioribus. V. 253 optime excipitur a v. 254, modo unius versus lacuna statuatur. Neque enim prius de scuto percusso vel non percusso quam de scuto icto dici potest, cf. Γ 346 sqq. Sed quae ratio inter utrumque et v. 252 intercedat quaeritur. Ac prior quidem apte potest adiungi, alterum vero si spectamus, eum qui semivivus prociderit scutum ita potuisse sustinere, ut iaculum exciperetur exceptumque haereret, minime est probabile. Abhorret igitur v. 254 ab ea narratione quae v. 252 incohatur. Etiam v. 253 cum neque ante neque post v. 252a, quem cum v. 252 sententiae causa conciliavimus, aptum locum habeat, a v. 252 segregandum puto ita ut se excipiant v. 252, 252a, 253, 254 singulorum versuum lacunis disiuncti. Iam si archetypum, id quod de exemplo libri *J* constat, ita scriptum fuisse sumis, ut singuli paginae versus binis hexametris inter se cohaerentibus constarent et propter laesum marginem alterni hexametri perirent, optimam habes qua lacunas explices rationem.

V. 256 suppositivum cum alia produnt tam epitheton δῖος ranae impositum, additus est v. 257 ad Origanionis virtutem ad ingentem laudem efferendam.

V. 259 ubi in septem lectiones libri discedunt, sola mixtorum *t u* (*m*) scriptura κατέδου δ' ἐν βένθεσι λίμνης vera est.

Breviter hic murium ranarumque nomina adhuc obvia enumerabo tribus classibus discripta:

I Certis sedibus in *L* et *V* leguntur haec: a) 24 Ψιχάρπαξ, 28 Τρωξάρτης, 29 Λειχομύλη, 202 Λειχίνωρ, 230 Λειχοπίναξ, 29 Πτεροπρόκτης, 224 Πτερογλύφος, 137 Τυρογλύφος, Ἐμβασίχυτρος, 206 Τρωγλοδύτης (adde v. 261 Ἄρτεπίβουλος). b) 17 Φυσίγναθος, 19 Ὑδρομέδουσα, Πηλεύς, 206 Πηλείων, 202 Ὑπιβόας, 209 Σευτλαῖος, 224 Καλαμίνθης, Καλαμίνθιος, 230 Βορβοροκοίτης, 243 Κραυγασίδης. Quae omnia lepidissima sunt praeter Πτερογλύφος (v. 224) de quo vide supra; una cadit in eodem versu Καλαμίνθης vel Καλαμίνθιος, quod nomen quid significet ne apertum quidem est; Σευτλαῖος (v. 209), nomen redit ad v. 54, versus 209 ipse spurius.

II Varie ab *L* et *V* traduntur haec nomina: 218 Κραμβοβάχος *L*, Κοστοφάγος *V*, 223 Τυρογλύφος *L*, Τυροφάγος *V*, 232 Πρασσοφάγος *L*, Πρασαίος *V*, 235 Πηλούσιος id quod ne numeris quidem sufficit *L*, Πρασαίος *V*, 237, 241 Πηλοβάτης *L*, Κραμβοβάτης *V*, 247 Σιτοφάγος *L*, Τρωγλοδύτης *V*, 252 (om. *L*) Τρωξάρτης *JN*, Πρασαίος *V*. Quae omnia praeter Πηλοβάτης v. 237, 241 et ea quae repetita sunt nomina, Τυρογλύφος et Τρωξάρτης, cuius farinae sint facile apparet.

III Inter ea denique nomina quae altero librorum genere perhibentur, nullum genuinum reperies: 210 Ἄρτοφάγος, 214 Ὠκιμίδης (patronymicon ductum a voce ὠκιμον, sed ocimo ranae non vescuntur; cf. Κραυγασίδης v. 243, sed Κραύγασος ipsum potest esse nomen ranae), 223 Λιμνήσιος (ex eadem sine dubio officina unde v. 235 Πηλούσιος), 226 Φυτραῖος, 227 Ὑδρόχαρις, 256 Ὅριγανίων.

V. 260 sqq. restitui nequeunt. In v. 261 prima voce nomen latere debet, nam praeter meliores ceteri in has lectiones discedunt. Κρέϊωνος plerique, κραιΐωνος *MP*, κρίσσωος *l*, κρίωνος *d*, κρείονος *G*, κρείοντος *z*; nomen ipsum non expedio, neque utrum genetivus an nominativus statuendus sit diiudicaverim. Priorem constructionem suadent exempla ex Iliade omnia, ex Odyssea pleraque, quippe quae arte cohaereant cum vetere vocis φίλος notione pronominali: Β 564 (Καπανήος ἀγακλειτοῦ φίλος υἱός), item Κ 50, Μ 355, Ψ 289; β 2, 35, 415, γ 64, 352, ο 59, 337, π 48; β 17, ξ 317. Ab hoc vetere usu qui recedunt quattuor Odysseae loci (ο 554, ρ 3, υ 283, ω 151) hac ipsa re epicam poesin labentem indicant. Itaque aut librorum vestigia et frequentiorem usum homericum secuti scribamus (Κρέϊωνος) φίλος υἱός, ἀμύμων Ἄρτεπίβουλος aut in Κρέϊωνος nominativum latere concedi debet. Hoc certum est, nomen Meridarpacis ex v. 273 huc inlatum esse ita, ut ab *L* in tertium, ab *V* in primum ἀριστείας illius versum reciperetur. Ceterum caret nomen illud omni festivitate (cf. Ψιχάρπαξ!), quia nec totam μέριδα potest mus ab ipsa tabula auferre ac-

cumbentibus convivis et frigidum est fingere murem suam sibi μέριδα rapientem.

V. 267 qui abest ab *L* iam Althaus p. 21 recte obelo notavit, qui si genuinus esset, unus posset adnecti ultimus carminis v. 303.

Post v. 268 non ferri potest 270, bis enim eiusdem narrationis initium fit. Itaque Draheim ad eam descendit sententiam, ut v. 269—287, id est totam fulminis a Iove iacti narrationem, uncis includeret, ut statim cancri finem certamini imponerent. Atque habent illi versus multa corrupta et horrida, sed id ipsum testatur genuinam lectionem in archetypo lacunis hiantem ab interpolatoribus male esse sartam. At quo pacto, quaeris, potest cogitare Iuppiter de Minerva ranis auxilium latura (v. 278) post ea quae v. 187—192 leguntur? Sed versus illos ad genuinum poetam non pertinere supra demonstravi. V. 268 sqq. potest sententiarum conexus restitui v. 270 eiecto, sed hoc libri non admittunt: v. 268 om. *L*, 269 *L JF<sup>1</sup> N*. Hos igitur eo magis expellamus, quod propter carminis argumentum Iuppiter inepte hominum divumque pater appellatur. Cf. P 441 sq.

Inde a v. 279 pristina manus poetae paene evanuit. Tamen si quis minus est fastidiosus, binae constitui possunt lectiones, quales fere qui olim haec concinnarent, scribere animum induxerint:

I Οὐτ' ἄρ' Ἀθηναίης, Κρονίδη, σθένος, οὐτ' ἄρ' Ἄρηος<sup>1</sup>  
 ἰσχύσει βατράχοισιν ἀρηγέμεν, ἀλλὰ σὸν ὄπλον<sup>2</sup>,  
 ᾧ ποτε καὶ Καπανῆα κατέκτανες ὄβριμον ἄνδρα,  
 Ἐγκέλαδον τ' ἐπέδησας ἰδ' ἄγρια φύλα Γιγάντων.

II Οὐτ' ἄρ' Ἀθηναίης, Κρονίδη, σθένος, οὐτ' ἄρ' Ἄρηος  
 ἰσχύσει βατράχοισιν ἀρηγέμεν· ἢ τὸ σὸν ὄπλον  
 κινείσθω· οὕτω γὰρ ἀλώσεται ὅστις ἄριστος.

Quae utraque lectio multifariam potest commisceri, sed haec ipsa experimenta quam lubrica hic omnia sint ostendunt.

<sup>1</sup> sic lenissime tollitur hiatus οὔτε Ἄρηος, male dett. οὔτε γ' Ἄρηος.

<sup>2</sup> sic *N* pro ἢ τὸ σὸν ὄπλον.

V. 286—288 recte inclusit Kühn, quamquam nihil impedit, quominus v. 287, quem om. *L*, cum M. Schmidt scribamus ὁ δειμαλέον.

V. 289 quem extremum mancum exhibent libri (mell. addiderunt τε μῦας), duplex suppetit supplementum, nam aut cum Baumeistero scribe κεραυνόν aut mecum' exple Κρονίων. Augetur sane utroque supplemento difficultas versus 289 cum 285 coniungendi, sed omnino v. 285 et 289 ab eodem auctore proficisci nequiverunt; quia repetitur v. 289 βαλὼν ex 285 ἔβαλεν, nec potest statui lacuna ad quam explendam non possis aptam sententiam invenire. Itaque v. 289 ad continuandam orationem ex v. 285 conflatus videtur. Etenim prorsus incredibile est mures Iovis fulmine perterritos pugna non destitisse vel si hoc largiris poetae, Jovem tanta audacia ac temeritate nihil iratum denuo ranarum misericordia commotum cancos auxilio mississe. Hoc bene animadvertit Althaus, qui carminis exitum inde a v. 292 ait subditicium. Etiam Herwerden nimis fere absurdum esse concedit, quo in carminis exitu Iovem fecerit poeta pugnam dirimentem, immitti in velocissimorum murium exercitum cancos tardissimos et retrogrados. Alia adsunt interpolatoris iudicia: v. 291 πορθέω hac notione lexicographis in usu: Hesychius δηοῦν πορθεῖν, item δηώσαντες πραιδεύσαντες, πορθήσαντες, καταπολεμήσαντες. Quis porro elegans poeta repetit βατράχων (v. 291) et βατράχους (v. 292; v. 293 mell. ὅστις φθειρομένοισιν ἄρωγούς)? V. 292 paucis mutatis ex v. 270 repetitus est. Itaque v. 286—293 habes farraginem versuum temere congestam ut iam ad v. 285 adnecti possint v. 294 sqq.

V. 294 sqq. cancrorum descriptionem recentiori aetati tribuendam esse iam Althausius vidit p. 39. Atque epithetorum illorum series non componi potuit priusquam zoologia ab Aristotele incohata est; etenim ὄστρακόδερμος v. 295 vox est Aristotelica. Deinde haec ipsa materia carminibus didacticis tractari debuit, priusquam ad tale argumentum potuit transferri. Atque apud eum, quem ipsa res poscit adiri, Oppianum Halieuticorum scriptorem, nihil id genus invenies. Similia vero saepe

in cynegeticis: (I 217, 417, II 177, 422, 607, IV 235) epitheta plerumque bestiarum continuantur. Nostro vero cum loco maxime potest comparari Statylli Flacci ep. A. P. VI 196:

Ῥαιβοσκελῆ, δίχαλον ἀμμοδουόταν,  
ὀπισθοβάμον', ἀτράχηλον, ὀκτάπουν,  
νήκταν, τερεμνόνωτον, ὄστρακόχροα,  
τῷ Πᾶνι τὸν πάγουρον ὄρμηβόλος,  
ἄγρας ἀπαρχὰν, ἀντίθησι Κῶπασος.

Statylli tempus nescitur, cf. Jacobs Anth. Pal. XIII 955, sed dialectus dorica resuscitata ad Hadriani fere aetatem nos delegat.

V. 300 ut absurdum obelo notat Wachsmuth; videtur interpolatori obversatus fuisse locus homericus χ 477 χεῖρας τ' ἠδὲ πόδας κόπτων.

Posteriorem v. 294 sq. aetatem testantur etiam numeri: v. 298, 302, 303 meris dactylis continentur, v. 303 est correptio attica licet Homero praeunte Γ 441, ε 350, θ 292, κ 528, atque in eodem v. hiatus in quarti pedis caesura trochaica, cuius unum in hoc carmine exemplum invenies v. 192, quem ipsum a vetere poeta abiudicavimus.

---

## VITA SCRIPTORIS

Paulus Eduardus Carolus Brandt Saraepontanus natus sum a. d. III Cal. Apr. a. 1861 patre Martino Theophilo Guilelmo, matre Mathildi e gente Neustetel adhuc superstitibus. Fidem profiteor evangelicam. Postquam per decem annos patriae gymnasii alumnus fui, quod tunc florebat sub auspiciis Guilelmi Hollenberg, viri candidissimi mihique semper benivolentissimi, vere anni 1880 ut studiis philologis operam navarem Heidelbergam demigravi, quo invitabat tironem imprimis Samuelis Brandt fratris carissimi salubre studiorum contubernium. Inde post biennium ad hanc almam Musarum sedem me contuli, cuius ad hunc diem civis sum. Docuerunt me viri clarissimi Bartsch, Brandt, de Duhn, Fischer, Schoell, Uhlig, Wachsmuth Heidelbergenses, Buecheler, Joers, R. Kekulé, Kueppers, Neuhaeuser, Usener, Wilmanns Bonnenses. In seminarium philologum Heidelbergense Schoellii, Wachsmuthii, Bonnense Buecheleri, Luebberti, Useneri egregia erga me benivolentia me recepit; illius per unum, huius per tria semestria sodalis fui ordinarius. Exercitationibus archaeologicis de Duhn, R. Kekulé, epigraphicis Zangemeister, Buecheler, numismaticis de Duhn, philologis Brandt, Buecheler, germanicis Wilmanns benigne me admiserunt. Praeceptoribus meis debitas ago gratias omnibus, imprimis praeter fratrem carissimum, qui studia et praesentis et absentis suo exemplo suaque adhortatione fovebat, beneficiis me sibi devinxerunt Buecheler, de Duhn, Usener, Wachsmuth, quorum memoriam pientissime recolere numquam desinam.

---



## SENTENTIAE CONTROVERSAE

### I

Iliadis Z 232, 233 diasceustae debentur, una quibuscum cadunt v. 234—236 Schillero olim molestissimi.

### II

Archilochi frgm. 79 Bergk imitatur Catullus carmine LVI.

### III

Aesch. Pers. 746 sqq. Dind. sic in integrum restitue:  
παῖς δ' ἐμὸς τάδ' οὐ κατειδῶς ἦνυσεν νέψ θράσει·  
ὄστις Ἑλλήσποντον ἱρὸν δοῦλον ὡς δεσμώμασιν  
ἤλπισε σχήσειν ῥέοντα καὶ πέδαις σφυρηλάτοις  
καὶ Ποσειδῶνος κρατήσειν. πῶς κτέ.

### IV

Aesch. Pers. 791, item 840—842 Dind. expellendi sunt.

### V

Aesch. Prom. 224, 225 Dind. delendi sunt.

### VI

Andoc. de myst. § 143 sic exple: Ἐπειδὴ τοίνυν καὶ ἡ πόλις ἐσώθη δημοσίᾳ διὰ τὰς τῶν προγόνων τῶν ὑμετέρων ἀρετὰς, ἀξιῶ κάμοι <ἰδίᾳ> διὰ τὰς τῶν προγόνων τῶν ἐμῶν ἀρετὰς σωτηρίαν γενέσθαι.

### VII

Paus. V 17 § 5 lege: ἐς ταύτην τὴν λάρνακα Κύψελον τὸν Κορίνθου τυραννήσαντα ἀπέκρυσεν ἡ μήτηρ, ἠνίκα τεχθέντα ἀναιρεῖν αὐτὸν σπουδῆν ἐποιοῦντο οἱ Βακχίδαί. Editur ἀνευρεῖν.

### VIII

Ex Anth. Pal. epigrammatum quorundam lemmate Ὀνέστου qui vulgo perhibetur Onestes, nomine Romano est Honestus.

## VIII

Cic. de lege agr. II 37 § 101: Ego cum vestris armis armatus sim insignibusque amplissimis ornatus [imperio, auctoritate], non horreo in hunc locum progredi etc. Verba, quae inclusi, glossema.

## X

Cic. Brut. 93 § 322: dicam de ceteris, quorum nemo erat qui videretur exquisitius quam vulgus hominum studuisse litteris, . . . nemo qui breviter arguteque eluso adversario laxaret iudicum animos atque a severitate paulisper ad hilaritatem risumque traduceret. Editur incluso.

## XI

Symposium synaloephen non admittit nisi post vocalem sequente est copula; itaque haud paucae cadunt editorum coniecturae et LXXXII 266 R. bene Salmasianus 'coepi quod non eram, esse'.

## XII

Recte aenigma 'item de vino', quod e codice Lipsiensi edidi Tirocinii philologi p. 133, a ceteris separari, confirmat acrostichon PAVLVS.

## XIII

Iosephi interitum C. Caesaris referentis fons primarius fuit Cluvius Rufus; ex eodem hauserunt Suetonius et Cassius Dio.

## XIII

Lapis ex sculpturis nuper ab expeditione Vindobonensi in Lycia repertis, quo repraesentari videtur Epochus Ancaeum ab apro Calydonio vulneratum sustinens ('Archaeol. epigr. Mittheil. aus Oesterreich' VI tab. 7, 8), ad marmor quoddam monumenti Xanthiaci (Mon. Inst. X tab. XIV Q) aut ipsum redit aut eius exemplar Atticum.




18



264



UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA  
881H88 YB C001  
DE BATRACHOMYOMACHIA HOMERICA RECOGNOSCE



3 0112 023799437